DE NOTIONE PECCATI,

QUAM

JOHANNES IN PRIMA EPISTOLA DOCET,

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ADOLPHUS ZAHN,

Licentiatus theologiae, v. d. minister apud aedem cathedralem Halensem.

Curvata resurgo.

HALIS SAXONUM,

PROSTAT APUD R. MÜHLMANN.

MDCCCLXXII.

DE NOTIONE PECCATI,

QUAM

JOHANNES IN PRIMA EPISTOLA DOCET,

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ADOLPHUS ZAHN,
Licentiatus theologiae, v. d. minister apud aedem cathedralem Halensem.

Curvata resurgo.

HALIS SAXONUM,
PROSTAT APUD R. MÜHLMANN.
MDCCCLXXII.

DE NOTIONE PECCATI,

QUAM

JOHANNES IN PRIMA EPISTOLA DOCET,

COMMENTATIO.

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

SUMME REVERENDI THEOLOGORUM ORDINIS

ACADEMIAE PHILIPPINAE MARPURGENSIS

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

DIE XXII. NOVEMBRIS A. MDCCCLXXII.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS ZAHN.

MARPURGI CATTORUM

A. MDCCCLXXII.

MEMORIAE

JOHANNIS WICHELHAUS

Professoris Halensis eruditissimi, piissimi, candidissimi, qui omni vitae calamitate exhausta fructuosissimis laboribus defunctus jam aeterna pace fruitur

HONORI

HERMANNI FRIDERICI KOHLBRÜGGE

Theologiae doctoris et ecclesiae nederlandico-reformatae liberae Elberfeldensis moderatoris, viri coram Deo vitam degentis, quem Dei Optimi Maximi gratia dignum habuit, qui gregem collectum, constitutum, conservatum summo cum fructu pasceret

CARITATI

DANIELIS VON DER HEYDT

Regi a consiliis commerciorum intimis, multorum insignium equitis, socero vere patris loco colendi, qui et presbyteri munere in ecclesia nederlandico-reformata maximo cum honore fungitur, et in civitate Elberfeldensi eximiam eamque longe lateque celebratam publicam pauperum curam exercet

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

A. Z.

Praefatio.

Quicunque hanc lecturi sunt dissertationem, qua difficillimam aliquam, per saecula agitatam, diversissimo modo explicatam quaestionem nova quadam ratione tractasse mihi videor, eos rogatos velim, ne ea quae scripsi callide detorqueant aut maledicis dentibus carpant, sed, ut loci ipsius dignitati et veritatis rationi est consentaneum, nulla ambitione corrupti aut praejudicata opinione imbuti recte omnia dijudicent. Ita spero fore ut qui harum rerum periti sunt plenum hoc opus aleae nostra quoque invidiosa aetate aequi bonique consulant.

Quam notionem peccati Johannes in prima epistola habeat quum illustrare nobis in animo sit, ad hanc normam regulamque quaestionem instituendam esse censemus, ut ex ea sola, de qua agitur, epistola reliquis Novi Testamenti libris praetermissis notionem illam eruamus erutamque explicemus.

Jam quum epistola illa, quamquam magna cum simplicitate et facili quadam perspicuitate conscripta esse videtur, tamen multas habeat interpretandi difficultates, ante omnia, quo consilio epistola scripta sit quidve sequatur accuratius dicere nos oportet, ita ut quae ad epistolam recte intelligendam necessaria sunt, ex ea ipsa sumantur.

Hac ratione inita quae a nobis clare atque evidenter demonstrabuntur, fieri non posse quin vera sint, certissimum apparebit. Nam secum ipso Apostolus pugnare non potest.

Novi Testamenti librorum consensus concentusque non is est neque esse potest, ut, quae externam quandam habent similitudinem, ea nullo neque loci neque scriptoris respectu habito componantur interque se comparentur, sed ut quodvis dictum primum secundum orationis sententiarumque contextum intelligatur et tum demum, num cum aliis N. T. locis congruat, quaeratur.

Quae quum nemo sit qui improbet, equidem non attingerem, nisi inspicientibus Düsterdieckii*) commentarium multis

*) Düsterdieckius quum in eo commentario quem de prima Johannis epistola composuit, interpretes accurate enumerare studuerit, tamen nonnullos silentio praeteriit, quos quum satis magni momenti sint, nominare mihi nunc liceat: expositiones Thomae Naugeorgii apud Marloratum (N. T. catholica expositio ecclesiastica. Editio quinta. Genevae 1593), Zwinglii (opera vol. VI. p. 320 etc.), Francisci Gomari (opera Amstelodami 1644. p. 720), Johannis Har-

rebus eximium, qui liber, quae reliqui interpretes studiose exploraverunt, in unum quasi locum collecta amplectitur, tanta diversarum opinionum colluvies turbaque occurreret, ut facile omnem recte interpretandi spem deponendam esse possent adduci. Jam si quaesiveris unde haec tanta dissensio orta sit, eam esse causam videbis, quod variae sententiae ex reliquis scriptis depromptae, quum ad similitudinem quandam inter sese accederent, omni discrimine remoto coniungebantur.

Quae quum ita sint, facere non possumus, ut non epistolae recte dijudicandae lumen ex ipsa sola petitum afferamus.

Epistolarum autem ab Apostolis scriptarum ea natura est, ut non doctrinam absolutam et omnibus suis partibus perfectam contineant, sed ita omnes compositae sunt, ut ad intelligentiam sensumque eorum, ad quos mittebantur, accommodotae eas res, de quibus potissimum illi docendi erant, in lucem prolatas illustratasque exhibeant.

Et quoniam omnia, quae in unoquoque christianorum conventu fiunt, quasi ante oculos versantur Apostolis, docendo, consolando, corrigendo ecclesiarum statum emendare student. Pio adducti amore summoque studio iis qui angustiis premuntur auxilium, quo maxime indigent, ferendi doctores illi sanctissimi verba formant, usurpant notiones, vocem sermonemque vertunt. Itaque tantum abest, ut communes quasdam easdemque stabiles sententias in medium proferant, ut contra aptissimis maximeque idoneis verbis sententiisque usi laborantibus succurrant, aegris medeantur.

Cui quidem legi normaeque interpretandi quum in nulla epistola intelligenda magis quam in prima Johannis obtemperandum esse censeamus, quo rectius se habeat disputatio nostra quoque expeditius eo, quo tendit perveniat, nihil antiquius ha-

duini (commentarius in N. T. Amstel. 1641). Post Düsterdieckii curas epistolam illustraverunt: Huther, Ebrard, Myrberg (commentarius in ep. Joh. primam. Dissert. exeg. 1859), Ewald, Brückner, Braune (in bibliorum Langianorum parte quinta decima), Haupt (der erste Brief des Johannes. 1870). Conferas praeterea velim interpretationes doctrinae N. T. apud Köstlin, Fromman, Schmid, Lutherbeck, Weiss. De compositione epistolae investiganda bene meriti sunt post Bengelii lucubrationes: Erdmann et Luthardt.

bemus, quam ut quae illis temporibus ecclesiae vel potius ecclesiarum (*καθόλου τοῖς πιστοῖς*) conditio fuerit videamus. Qua in re si via et ratione processerit oratio, fore, ut quae Johannis de peccato sententia sit, facile dicatur nobis persuasum est.

CAPUT I.

COGNITIO RERUM STATUSQUE ECCLESIAE, AD QUAM SCRIPTA EST EPISTOLA, QUID VALEAT AD NOTIONEM PECCATI ACCURATIUS DEFINIENDAM.

Quid assequi velit epistola sua Johannes, declarat ipse quum c. 2, v. 26 dicit: *ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν περὶ τῶν πλανώντων ὑμᾶς.*

Quae verba quamquam ad eam maxime spectant sententiarum seriem, quae est a. c. 2, v. 18 usque ad v. 25, tamen etiam cum iis, quae antecedunt, arctissime cohaerent, ita ut v. 26 maximi momenti sit, quippe quum per totam fere epistolam hominum alios in errorem inducentium malevolentiae fortiter occurratur. Illorum enim opinioni assentiri non possumus, qui solum partes quasdam epistolae, non totam epistolam adversus corruptores scriptam esse putant. Apostolum c. 1, v. 4 scribere: *καὶ ταῦτα γράφομεν ὑμῖν ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη*, concedimus, sed gaudio perfecto quasi optimo telo adversariorum impetus facillime reiiciuntur, quum animis nostris de salute laetantibus, acriter seductoribus resistere possimus. *)

C. 5, v. 13 si modo lectionem receptam sequimur (quam non prorsus falsam esse judicant De Wette et Erdmann) epistolae consilium id est, ut qui jam credunt ad fidem implendam admoneantur impellanturque — *ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν — ἵνα πιστεύητε.* Erant igitur inimici, qui eorum fidem delere volebant. Eodem modo verba c. 3, v. 7 quaeque cum iis convenit tota periodus c. 2, v. 29 usq. a. c. 4. adversus seductores scripta sunt, eaque non sine acerbitate. Non locutio generalis est illud: *μηδεὶς πλανάτω ὑμᾶς*, sed ecclesiae periculum respicit.

*) Eodem modo Paulus: *χαίρετε* adversus canes. Phil. 3, v. 1 et 2.

Jam epistolae initium, in quo auctoritatem suam apostolicam allatis et aurium et oculorum et manuum suarum testimoniis ardenti animo pronuntiat scriptor, aperte ad eos spectat, qui hanc auctoritatem negare audebant. „Haec enim ille, inquit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium Eccles. I. III. c. 25, veluti modulationis proludia praemittit adversus eos, qui Christum in carne advenisse negabant, ut in sequentibus ostendit."

Antichristos igitur et falsos prophetas, quorum natura et origo tam copiose describuntur c. 2, v. 18 etc. et c. 4, v. 1 etc., quique tam acriter damnantur, per totam epistolam ut impugnaret Apostolo propositum fuisse, verisimile est. Si vero periculum ecclesiae ab Antichristis imminens tantum erat, quantum fuisse ex Antichristorum doctrina et malis operibus ab Apostolo adumbratis satis elucet, haec epistola omnibus partibus ad ejusmodi periculum tollendum removendumque composita esse recte creditur.

„Man fühlt es an der ganzen Haltung des Schreibens, welches von vornherein auf die leibhaftige Offenbarung des Sohnes Gottes als des persönlichen Trägers des ewigen Lebens sich gründet, an dem überall um diesen wirklichen im Fleisch erschienenen Jesus gedrängten Lehrgehalte, an der immer wiederkehrenden, mit der Verheissung des ewigen Lebens verbundenen Warnung vor der Lüge Derer, welche, indem sie den wirklichen Christus leugnen, sich selbst vom Vater und von dem Sohne scheiden und um das ewige Leben betrügen — man fühlt es dem Allen ab, dass der Apostel die besondere Veranlassung zu seinem Schreiben eben in dem Auftreten jener den Glauben, die Freude und das Leben seiner Kindlein gefährdenden antichristlichen Lüge gefunden hat." (Düsterdieck Einleitung XXXIV.) Et Lutherus in Scholiis suis lectu dignissimis (edidit Bruns, Lubekae 1741), occasio autem, inquit, scribendi fuit haec, quod tempore S. Johannis haeretici quidam falsa doctrina turbaverunt ecclesias, tum singularis inter Christianos pigritia (cf. primam expositionem epist. apud Walchium IX. p. 209 et p. 1080). Non ita justum est Calvini de epistolae unitate judicium dicentis: „Alia quoque breviter attingit, ut de cavendis impostoribus." Sed non breviter c. 2, v. 18 etc. et c. 4, v. 1 etc. Apostolus Antichristos perstringit, quapropter

hoc quoque nomine Calvini commentario Lutheri Scholia multo esse praestantiora putamus.

Johannem admodum senem adversus haereticos scripsisse Patres sine controversia tradunt. (Epiph. haer. 51.)

Atque Thomas Naugeorgius*) haec bene disseruit: „scripsit autem ad eos, qui jam crediderant quidem, sed a seductoribus impugnabantur, ut relicto Jesu Christo alibi vitam aeternam et remissionem peccatorum quaererent." Deinde Bullinger in commentariolo suo (in omnes apostolicas epist. N. T. commentarii. Tig. 1539): hisce, inquit, oppugnavit et veluti ex obliquo subruit cum Hebionica et Cerinthiana (?) phalange, pseudochristos etiam omnes, quorum illi Christum penitus abnegabant, hi vero verbis, immo loquacitate futili Christum quidem confitebantur, vita autem referebant cacodaemonem. Isti praeter ea Johanni ansam scribendi praebuisse videntur, quum pia senis cura et Christianae plebis amor piissimum Apostoli animum procul dubio ad scribendum vel maxime impulerant. Optime Erdmann autem p. 29—46 epistolae indolem et naturam ita describit: „Indoles didactico-paraenetica, quae per totam epistolam patet, simul polemica est." Quocum Haupt quodammodo consentit, qui tamen dicere audet: Man kann diese beiden Stellen, die von den Antichristen handeln, ruhig fortlassen, und der Brief wird in seinem eigenen Gehalte durchaus nicht geändert. S. 309.

Antichristorum originem et naturam si diligentius contemplati erimus, falsissimam eorum opinionem esse judicabimus, qui ecclesiam primitivam „immaculatam ut ita dicam virginem fuisse" fingunt. Ecclesiae primitivae statum nec pulcherrimum aut optimum nec ceteris ecclesiae, quae per mundum propagari coepta est, conditionibus similem et aequalem fuisse arbitramur. Immo vero singularem fuisse ejus et florem et interitum credere necesse est.

Ἐξ ἡμῶν, dicit Johannes c. 2, v. 19, *ἐξῆλθον*: erant igitur socii ecclesiae christianae, ex qua non solum prodierunt sed ipso prodeundo etiam exierunt ita ut, quamvis etiamtum in media

*) Kirchmayer, Basiliensis.

ecclesia versarentur eique artibus suis nocerent, tamen se ab ea seiungerent.

Jam si legimus apud Apostolum ἀλλ᾽ οὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν, i. e. sed non erant ex ecclesia christiana, his verbis propria eorum origo indicatur. Ecclesia enim est ex Deo (4, v. 6; 5, v. 19), isti autem erant ex mundo (4, v. 5) et ex diabolo vel perditore, cui totus mundus obedit (5, v. 19), et eo consilio ex ecclesia in mundum exire debuerunt, ut prorsus aliam esse suam originem declararent (c. 4, v. 1). In ecclesia tum manentes cum fratribus vitae quodam vinculo conjuncti et in externa Dei et veritatis societate perseverantes, tamen et interna animi conditione, et externis quoque operibus malis mundo sese addixerant, a quo iis quotiens verba faciebant, plausus impertiebantur (c. 4, v. 5).

Haec igitur est epistolae gravitas et amplitudo, quod in ea *mundus in ecclesia* ut ita dicam nobis ostenditur, id est falsi fratres, Christianismi simulatores, falsi prophetae, Antichristi. Re vera Johannem ad falsos fratres spectare ex c. 3, v. 12 apparet, in quo post mutuae inter fratres caritatis adhortationem Kainum et Abelium inducit, et deinde qui Kaini similes sint mundum vocat (c. 3, v. 13). Quod nomen non tam aperte etiam seductoribus et fratribus, qui odium in fratres conceperant, dedisset Apostolus, nisi hoc nomine eorum originem ex ecclesia christiana falso duci probare studuisset.

Jam vero in epistola de commercio et usu agitur, qui intercedere debeat inter fratres re vera ex Deo natos et fratres non ex Deo natos, sed originem divinam jactantes. Neque enim Apostolus si mundi vocem usurpat, de ethnicismo cogitat, qui extra ecclesiam versatur, et pellicere homines studet, *sed de ethnicismo, qui in ipsa ecclesia crescit et alitur.**) Notiones mundi, tenebrarum, peccati, mortis, quique omnium harum potentiarum perniciocissimarum dominus est, Diaboli quum artissime inter se conjunctae sint, quis negare

*) Recte Weiss bibl. Theol.: Der Welt gehört auch die antichristliche Pseudoprophetie an. S. 750. Das abgefallene Christenthum gehört auch zur gottfeindlichen Welt. S. 753.

possit, c. 2, v. 11 et c. 3, v. 14, quibus locis de caritate fraterna sermo est, illic de tenebris, hic de morte in ecclesia doceri? Inde colligimus, mundi quoque notionem ad ecclesiam spectare et totam Apostoli disputationem ad falsos pertinere fratres, falsosque doctores, qui quam fidem et caritatem olim profitebantur, illo tempore amiserant.

Rectissime igitur Polycarpus (ad Philipp. c. 7) verbo Johanneo (4, v. 2 et 3) falsos fratres cavendos censet: *καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου, οἵτινες ἀποπλανῶσιν κενοὺς ἀνθρώπους.*

Seductores c. 2, v. 18 *ἀντίχριστοι* vocantur. Novissimae horae, quae Christi reditum jam mox instantem tempore antecedit, manifestam esse notam docet Apostolus, quod multi Antichristi olim praenuntiati jam adsint. Antichristi notionem latius explicare hic non locus est, attamen breviter monere liceat, non certam quandam personam Antichristum intellexisse Johannem, sed satis clare, unum Antichristum, quem venturum esse Christus et Paulus praedixerunt, in multos Antichristos quasi dissolvisse nobis videtur. Poterat autem ista voce uti, quia et unum Antichristi spiritum (c. 4, v. 3), et unum seductionis spiritum (c. 4, v. 6) agnoscit. Simili modo omnes prophetarum spiritus unius spiritus nomine complectitur (c. 4, v. 1. cf. v. 6). Antichristi loco *ὁ ψεύστης* nominatur (c. 2, v. 22). Solet enim Johannes plura inter se cohaerentia uno verbo dilucide significare, quo fit, ut in sermone ejus summa insit perspicuitas.*) —

Antichristi igitur gerunt nomen falsorum prophetarum et spiritum non a Deo exeuntium, quia Jesum esse Christum abnegabant (c. 2, v. 22; 4, v. 3), vel quia verum Christum ut *ἀντικείμενοι* impugnabant, deinde etiam quia ut verus Christus tolleretur falsi Christi (*ἀντίτυπον*) imaginem fictam statuebant.**) Num Antichristi alium Christum vero relicto crediderint docuerintque quaerere non opus est. Nimis enim distincte admonetur, ut ille, qui ex Deo natus sit, Jesum ut Christum credat, alium vero Christum aversetur. Antichristi in ec-

---

*) Ita etiam Weiss bibl. Theol. S. 753.

**) De voce *ἀντιχρίστου* cf. Cremer Wörterbuch.

lesia ab Apostolis condita nova (c. 2, v. 7) de alio Christo, qui non sit Jesus, doctrina Apostolorum operae et labori officerunt. (II. Joh. v. 8.) Nam quum Jesum abnegabant, ipsum filium Dei spernebant, qui secundum Apostoli evangelium (ἀγγελία, λόγος, ἐντολή) in Jesu se manifestaverat, cum filio Dei Deum ipsum spernebant, qui nusquam inveniri potest nisi in Jesu Christo (c. 2, v. 23; c. 4, v. 3 et saepius). Quorum neutrum Antichristi confitebantur, neque Jesum esse Christum neque eundem Jesum priusquam homo fieret, divinae naturae formam habuisse.

Utrumque Apostolus uno dicto admirabiliter complectitur, quum pronuntiat, eos negare. Ἰησοῦν Χριστὸν ἐληλυθότα ἐν σαρκὶ (tria habes loquendi genera de Jesu Christo ad homines descendente: ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐλθὼν, ἐρχόμενον c. 4, v. 3, c. 5, v. 6 II. Joh. 7.) Recte ergo exceptis Socinianis omnes interpretes pii doctique affirmant, hac epistola Jesu Christi et veram humanitatem et veram divinitatem doceri.

Jam si quis quaerat, cur Antichristi Jesum negaverint, haec est causa, quod carnem ejus i. e. adventum in regionem mortis, peccati, tenebrarum aversabantur. Jam si Jesus apparuisse dicitur ἐν σαρκὶ, hoc aliud significat quam solum hominem eum esse factum. Vox enim σαρκὸς ut κόσμον aliquid maculati perditique significat, regionem quandam Messia prorsus indignam. Hoc antem, advenisse illum ἐν σαρκὶ (vel quod idem in loco vexatissimo nobis inesse videtur: δι᾽ ὕδατος καὶ αἵματος) Antichristi non ex alia causa credere nolebant quam quod carnem et mundum omnemque corporis immunditiem terrenam effugere studebant. Ex epistola Johannis quamquam non evidenter demonstrare possumus, hos quos appellat Antichristos ad spiritum regenerandum corporis purificationem necessariam esse credidisse, tamen verisimile est universam omnibus temporibus pervulgatam de corpore exanimando opinionem iis placuisse. Hac fortasse de causa in humana natura J. Chr. offendebant.

Antichristos autem erroribus perversissimis quamvis obnoxios tamen de sua cum Deo communione, ejus de cognitione, de amore aliisque virtutibus gloriari esse solitos, ex omnibus illis locis, quibus Johannes nonnullos eorum loquentes inducit, facile demon-

strabimus. Ac primum illud iteratum: ἐὰν εἴπωμεν c. 1. ad falsos fratres spectat, qui contra purificationem in Christi sanguine paratam sanctitatem suam jactabant. Eodem modo interpretamur illud: ἔγνωκα αὐτόν (c. 2, v. 4). Denique in Deo se esse (c. 2, v. 6), in ejus luce (c. 2, v. 9), in ejus adspectu (c. 4, v. 12), in vita aeterna (c. 5, v. 12) ii praedicabant, qui a Deo prorsus abhorrebant.

Quare ut Antichristos verum atque unum Deum esse negantes refutet, totius epistolae argumentum ita distribuit Johannes ut primo disserat de Deo ut luce pura et clarissima (c. 1, v. 5 — c. 2, 29), in qua nullae sint tenebrae, ita ut in eo adeo nihil sit quod Antichristi jure reprehendere possint et vituperare, ut contra ex eo per Christum ipsa veritas nobis apparuerit; deinde de Deo ut justitiam colente, quippe (c. 2, v. 29 — c. 3, v. 18) qui omnia promissa accurate et perfecte solvat et quae per Christum pronunciavit, ea stricte observet, ita ut Antichristorum criminationes Dei quasi injusti vanae sint et prorsus absurdae; postremo de Deo ut caritate (c. 3, v. 29 — c. 5, 5) in quo summam inesse dicit caritatem, quae misso et tradito filio unigenito in carnem excellenti, integra, divina gloria splendide omnibus hominibus patefiat.

Quam totam partem ita absolvit Apostolus (c. 5, v. 6—21), ut similiter atque initio clarissima atque evidentissima veritatis christianae testimonia enumeret.

Insignem Dei justificationem adversus Antichristos promulgatam in epistola habemus.

Vera autem esse, quae adhuc disputavimus, ultimo versu confirmatur, cujus verba haec sunt: Τεκνία, φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων.

Düsterdieckium interpretem cautum providumque errare hic videmus, quum in explicandis imaginibus (εἴδωλα) Apostolum „mit einem letzten, flüchtigen Wort" tentationem de qua nihil fere in reliqua epistola disseruerit, cavendam monere dicat. Quod si verum esset, Apostolus quam paullo ante de peccato mortifero secundum Düsterdieckium ab Antichristis commisso et de vero in Christo praesente Deo ab Antichristis negato docuerit, sub finem epistolae prorsus novam et a reliquis alienam sententiam adderet. Frustra autem Düsterdieckius

opinionem suam ita probare studet, ut de periculis ex ethnicismo nascentibus disserat, nam de ethnicismo fugiendo in epistola non disputatur. Est ergo versus 21 „ein abrupter Schlussvers", qui num a Johanne scriptus sit dubitari potest, nisi recte Beda ad prava dogmata haereticorum pertinere eum censet, quocum Riehl, Sander, Huther eique consentiunt, qui hujus versus sententiam latius patere existimant. Quapropter Zwingli suo jure monet inquit, in fide vera Deique cognitione unius edoctos, ut non modo pseudoapostolos et impostores caveant, sed omne hoc, quod a cognitione Dei et Christi eius vera avocare et abstrahere possit.

Permoti enim falsa doctrina de vero Deo propagata Antichristi deorum ficticiorum simulacra erigebant, *εἰδωλολάτραις* se manifestantes. Neque vero melius aut acutius Antichristorum opera adumbrare potest Johannes, quam si ejusmodi verbi macula eos afficit. Qua in re sibi constat, quippe qui ubique studeat oratione quam acutissima et aptissima uti. Vulgaris vocis *εἴδωλα* usus etiam Eph. 5, 5. Col. 3, 5. Apoc. 2, 14. 20 missus est.

Jam vero Apostolus ut Dei caritatem per totam epistolam praedicat, ita ut fratrum christianorum caritas colatur, magnopere admonet. Quid ita? cur ex caritate Dei tanquam ex uberrimo fonte semper fratrum caritatem profluere necesse esse docetur? Credo, quod cum summo suo dolore Apostolus cognoverat caritate Dei per Antichristos sublata simul omne caritatis fraternae studium ex ecclesia evanescere. Fratrum communionem videt diruptam, undique imminens odii et contemptus mutui periculum. Nam quum Antichristi eos, qui apostolicam doctrinam studiose servabant, odio persecuti ipsi primum in ecclesia locum tenere in animo haberent, ecclesia olim florens et caritatis vinculo conjuncta jam miserabilem dispersi gregis speciem praebebat.*)

Apparet igitur, summi esse momenti haec duo verba: *μένετε ἐν τῷ θεῷ* et *μένετε ἐν τῇ ἀγάπῃ*.

Tenendum est, haec Antichristorum opera perniciosa (*ἔργα πονηρὰ* 1 Joh. 3, 12 cf. 2 Joh. 11 *τὸ κακὸν* 3 Joh. 11.), non

*) Cf. III. Joh.

tam singularia inauditaque putanda esse, ut necesse sit, missa obscuritate simplicitateque apostolicarum ecclesiarum, ex aliorum temporum et ecclesiarum conditionibus aliud quid ad epistolam intelligendam afferre. Immo multo facilius et expeditius, quam vulgo creditur, hanc Antichristorum doctrinam natam esse in ipsa ecclesia potest demonstrari.

Erant enim in ecclesia, quibus doctrina de peccatorum confessione remissioneque per sanguinem Jesu Christi oblata in taedium veniret, quum peccata neque sentirent neque confiterentur. Mox Christum ad homines descendentem ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν spernebant, doctrinam a tradita diversam sequebantur, sectam sibi parare studebant, fidelium fratrum verba pie et mores corrigendi causa dicta tolerare non poterant, denique in odium Dei et fratrum sese praecipitabant. Haec omnia intra angustos ecclesiae fines evenire potuisse ex reliquis Johannis epistolis elucet, ita ut subtili errorum formula et enumeratione aliunde deprompta possimus supersedere.

Neque Cerinthi et Ebionitarum neque Gnosticorum sequenti aevo florentium indicia clara in epistola inveniuntur. Quin etiam, num Antichristi doketismum quendam praedicaverint in dubio est. „Johannes lässt nirgends das Bild eines irgendwie ausgebildeten Gnosticismus durchblicken. Seine Polemik geht nur gegen eine doketische Christologie und selbst diese scheint noch ganz roh gewesen zu sein, weil der Apostel sich damit begnügt, einfach die Wirklichkeit der Erscheinung Christi im Fleisch zu behaupten.“ (Düsterd. Einltg. XCIV. Similiter Bleek Einl. p. 590.)

Est epistolae proprietas quaedam, de qua, quum expediat, paucis dicamus.

Fieri igitur non poterat, quin vere fideles*) in ecclesia ita perturbata Antichristorum doctrina vexati notas, quibus Antichristi cognoscerentur, ab Apostolo peterent. Has potissimum notas ut indicaret, Johannes epistolam conscripsit. Hinc iterata illa locutio: ἐν τούτῳ γινώσκομεν c. 2, v. 3. 5. c. 3, v. 16. 19. 24. c. 4, v. 2. 13 vel ἐκ τούτου γι-

*) Hos si spectat vetus inscriptio πρὸς παρθένους optimum et Johanne dignum habet sensum (c. 3, v. 3).

νώσκομεν c. 4, v. 6, vel *ἐν τούτῳ φανερά ἐστι* c. 3, v. 10; hinc locutiones: *πᾶς ὁ ἀρνούμενος* c. 2, v. 23, *πᾶς ὁ ποιῶν* c. 2, v. 29; c. 3, v. 4, *πᾶς ὁ μένων* c. 3, v. 6, *πᾶς ὁ γεγεννημένος* c. 3, v. 9, *πᾶν τὸ γεγεννημένον* c. 5, v. 4, *πᾶς ὁ πιστεύων* c. 5, v. 1. *πᾶς ὁ ἀγαπῶν*, c. 4 v. 7. Hinc distinctio acutissima inter *ἡμεῖς* et *αὐτοί* c. 4, inter eos, qui ex Deo sunt et eos, qui non ex Deo sunt; hinc acerbitas et gravitas sermonis, quae dubitationi nullum locum relinquit, nullasque aperit effugiendi vias; hinc denique divina ista verborum et brevitas et claritas.*)

Unoquoque fere dicto Apostolus graviter demonstrare videtur, suum esse, Antichristos lucidissime adumbrare, fidelium autem fidem et amorem firmare.**)

Conditio igitur ecclesiae qualis fuerit quoniam satis vidimus, fore, ut ad notionem peccati rectius, quam fieri solet, definiendam via patefiat speramus. Nam ex ipsius ecclesiae, quae tum erat, conditione et statu haec notio explicanda est.

Jam peccatum, ut disputationis nostrae summam dicamus, nihil aliud est, nisi Antichristorum quique eos secuti sunt, in Christum et fratres christianos injustitia (*ἀδικία*), et violatio ejus legis (*ἀνομία*) quae in Christo revelata et fidem et caritatem imperat. Peccare est non manere in Christo, in fide semel suscepta, in fratrum communione semel inita, denique ex fide et caritate excidere in infidelitatem et odium. Ideo peccatum et peccare eam habent vim propriam, quae ex toto ecclesiae statu necessitate quadam sequitur.

Qua de causa vocem quandam Johanneam in epistola altera positam toti commentationi nostrae inscribimus: *Πᾶς ὁ παραβαίνων καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ Θεὸν οὐκ ἔχει* — qua in voce notio contemptae doctrinae et notio peccati uno verbo: *παραβαίνειν* sollerter et ingeniose inter se sunt colligatae.***)

*) Seine crystallene Heiterkeit, ut Steinhofer dicit Erkl. d. Br. p. 29.

**) Er hat im Angedenken, was er ihnen schon mündlich erklärt hatte, und will es jetzt mit eisernen oder demantenen Haken in ihr Gemüth und Herz anheften. Steinhofer S. 35.

***) Nec minus, si lectionem receptam *παραβαίνων* cum Lachmanno et Tischendorfio secundum A. B. cod. Sin. et veteres translationes:

CAPUT II.

QUAE PECCATI SIT DEFINITIO.

Qui titulus huic disputationis nostrae parti inscriptus est, magis ex usu et consuetudine hominum doctorum quam ex Apostoli sententia et genere dicendi originem ducit, qui quum clare et subtiliter quae sentit exprimat, tamen formulas et definitiones non soleat usurpare.

Dogmaticorum evangelicorum*), qui peccatum definiunt, mos est adhibere illud Johanneum cap. 3, v. 4: *πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.* Anteaquam vero illius vocis naturam perscrutemur, totam sententiarum rationem, quacum connexa sit, perlustrare necesse est.

Verum quidem est, id quod multi interpretes censent, a c. 2, v. 29 novum sententiarum ordinem initium capere et usque ad c. 3, v. 18 pertinere, attamen assentiri nequeo Erdmannio

---

praecedit, procedit impugnaveris et *πᾶς ὁ προάγων* legeris, in hac voce *προάγειν* veram peccati notionem invenies; significat enim: ein Vorgehen in der Lehrbildung, mit welchem das Bleiben in der Wahrheit nicht besteht, jenen falschen Fortschritt, welchen Paulus als Streitfragen und Schulgezänke charakterisirt (Düsterdieck). *Οἱ προάγοντες* antichristi eorumque discipuli non erant *ἀκολουθοῦντες τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ* (Matth. 21, 9) et hac in re peccatores et desertores.

*) Heppe, Dogmatik des deutschen Protest. Locus VII.: Peccatum est defectus vel inclinatio vel actio pugnans cum lege Dei. Idem: Dogmatik der ev.-ref. Kirche p. 231, ubi omnes peccati definitiones voce illa *ἀνομία* quasi fundamento nituntur. Etiam apud patres hoc dictum iterum iterumque usurpatur. Peccatum est aut delictum aut factum aut cogitatum contra legem. August. lib. XXII. contra Faust. c. 27. Quid aliud est peccatum quam legis divinae transgressio ac coelestium inobedientia mandatorum. Ambr. lib. de Parad. c. 8. De diversis quae peccatum significant, vocibus apud Hebraeos, Graecos, Romanos usitatis optime disserit Vilmar (Theol. Moral. S. 123 ff.) חטאה, *ἁμαρτία,* ursprünglich wohl: in den Händen halten, in späterer Zeit: fehlschiessen, das Ziel verfehlen; peccatum, Uebel, quodammodo inter se cohaerent. Praeterea פשע (rebellio), מעל (praevaricatio), בגד (defectio), *ἀνομία,* nefas, fravóurths Gothorum (darüber hinaus Gewirktes) comparari possunt.

dicenti: manifestum est, inter v. 28 et v. 29 necessitatem intercedere nullam sententiamque, quae subsit v. 29 omnino diversam esse a v. 28.

Apostolus enim oratione ita progreditur. Postquam c. 2 v. 28 filiolos suos adhortatus est, ut in filio Dei, qui per verbum ab initio auditum (v. 24) et per unctionem hominibus datam cum ecclesia conjunctus esset, perseverarent, perseverandum autem esse ita persuadet, ut solis perseverantibus fiduciam, cujus in apparitione Jesu Christi pudor nullus esset futurus, fore promittat. Jam quae verba sequuntur ab iis quae antecedunt nequaquam abhorrent; immo vero ex certissima Christi apparitione, quae quidem die ultima futura sit, concluditur, Deum (quem inde Apostolus artissime cum filio conjunctum ponit*) esse justum, quum justitia non laesa praestet, quod promiserat, novissimam Christi manifestationem eamque fidelibus beatissimam proponens. Quae spes maxima quum nos teneat, Christum rediturum esse, apparet Dei justitiam esse veram et integram: *ἐὰν εἰδῆτε ὅτι δίκαιός ἐστιν.*

In hac tota epistola Dei justitia non absolutam ejus sanctitatem sensu ut ita dicam abstracto intellectam significat, sed ubique illustranda est familiarissima conjunctione, quae intercedat ei cum revelatione Dei in Christo facta et cum promissionibus per eundem datis. Quod nisi cognitum et perspectum est, notio peccati non potest recte definiri. Quum Deus c. 1, v. 9 *πιστὸς καὶ δίκαιος* vocetur, quia confitentibus peccata remittit, justitia ejus una cum fide et evangelium demonstrat verissimum et remissionem peccatorum reddit certissimam. Quemadmodum de luce, qui quidem Deus ipse est, atque de caritate ejus perfectissima non abstracte et infinite agit Apostolus, sed ita ut revelatione Jesu Christi appareant: haud secus de Dei justitia loquitur.

*) Recte Harduinus: „Tum ex hoc loco scilicet similibusque aliis qui in hac epistola occurrunt, manifeste colligitur, pro certo posuisse Johannem, Christum esse summum Deum nec alium Deum praeter Christum esse, si quidem quod Deo summo convenit, id Christo tribuit, ac vicissim Deo id quod est Christi proprium.“ Itaque interpretes frustra studuerunt Deum patrem a Christo ubique clare discernere. Neque enim id verum est, „ἐκεῖνος“ solum Christum significare.

Quum vero cognitum habeamus, **D e u m e s s e j u s t u m**, id quoque constat (indicativi forma *γιγνώσκετε* Johannes usus est secundum certum genus dicendi): *ὅτι πᾶς ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην ἐξ αὐτοῦ γεγέννηται.* Apostolus enim illud: cognoscitis, quicumque ex Deo natus sit, illum item facere justitiam, non eo consilio scribit, ut ex divina nativitate vitae sanctitas manare dicatur, sed ut ex vitae sanctitate divina origo concludi debeat, id quod ex pugnaci docendi genere explicandum est. Quid vero est: *ποιεῖν τὴν δικαιοσύνην?* Interpretes Graeci solemnem hanc loquendi formulam jure premunt, quum dicant, ea totam vitam in justitia actam significari. Nobis referenda esse videtur ad ejusmodi opera justitiae, quae internam animi conditionem patefaciunt.*) Qua in re iis assentiri non possum, qui justitiam perpetratam generali sensu intelligunt Dei justi imitationem in operibus justis manifestatam, quippe quae ex divina nativitate procedere debeat. Contra si a totius epistolae sententiarum nexu discrepare nolumus, id tenendum est, e u m j u s t i t i a m f a c e r e, qui in patris filiique communione atque in caritate fraterna permaneat. Deus quum secundum revelationem suam in Jesu Christo factam fide sua benignissima et veritate gratiosissima s i t j u s t u s, e u m s o l u m accipit justitiae suae imitatorem discipulumque, qui eandem divinam justitiam homines servantem A n t i c h r i s t i s n o n a s s o c i a t u s fide atque operibus sibi vindicat neque infidelitate contemptuque i r r i t a m r e d d i t. I n j u s t i t i a m f a c i t i s, qui Dei justitiam in Christo salvificam pessumdat, quod Christum negat et relinquit; j u s t i t i a m f a c i t i s, qui Dei justitiam sibi oblatam ita et consiliis et factis consequitur, ut seductorum doctrinam et opera a se removeat.

Quominus prima Johannis epistola recte intelligatur, id maxime videtur impedire, quod omnia versui 29. similia de sanctitate et puritate ex Deo natorum dicta omnino latiore sensu accipiuntur, quum Apostolus non de alia justitia et sancti-

*) *Ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην* voci illi Veteris Testamenti פעל צדק respondet Ps. XV, 2. — Ev. Joh. 8, 34 ex illo: *δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας* concluditur: *π ο ι ε ῖ τὴν ἁμαρτίαν.*

tate disserat, quam quae in fideli cum Christo et fratribus christianis conjunctione qua vi sit et natura ostendat.

Quae si concesseris, fieri potest, ut omnibus, quae Apostolus de sanctitate fidelium divinae sanctitati simili disputat, sensus evangelio consentaneus atque vitae fidelium non repugnans vindicetur.*)

A divina generatione v. 29 memorata ad celebrandam Dei caritatem nomine nostro, quo filii Dei vocemur, manifestatam, Apostoli oratio transgreditur (c. 3, v. 1). Quum vero semper ita loquatur Apostolus, ut de discrepantibus opinionibus disceptet, statim ex origine atque nomine nostro divino conficit, mundum Deo abalienatum facere non posse, quin filios Dei non agnoscat.

Qua quidem voce non mundum extra ecclesiam versantem notat, sed eum mundum, qui, quae erat ejus Dei ignorantia, vere fideles ipsa in ecclesia persequebatur. Sed odium mundi, quod ex abjecto et humili filiorum Dei statu praesenti oritur, neque generationis spem tollere potest, immo vero scientia nostra firmissima est, in apparitione futurae gloriae nos Deo se nobis videndum praebenti futuros esse similes.

Hac in spe quale nobis ostenditur fidei nostrae praemium!

Idcirco quicunque habet hanc spem in Deo positam, castum se conservat, sicut et ille castus est (v. 3).

Verbum ἐκεῖνος utrum Christum an Deum patrem significet, Johanne duce in medio relinquentes, magis nos juvat, quo sensu Apostolus ἁγνίζειν ἑαυτόν intelligat, quaesivisse.

Ἁγνεία est casta agendi vivendique ratio a sordibus et immunditia non polluta. Ἁγνίζειν ἑαυτόν est se ipsum castum purumque conservare.

Simili modo de nato ex Deo dicitur (c. 5, v. 18) τηρεῖ ἑαυτόν (etiam φυλάσσει ἑαυτόν c. 5, v. 21) i. e. se ipsum con-

**) Etiam in V. T. illud קדשים תהיו כי קדוש אני artissimam cum foedere sacrificiis nixo conjunctionem habet. Si illud Johanneum: καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστιν de absoluta Dei sanctitate explicaveris, ne in aeternitate beata quidem ejusmodi naturae congruentiam fore sperare poteris, quia non τὸ ἴσον sed tantum τὸ ὅμοιον promittit Johannes ipse.

servat, quo loco additur, perditorem eum non attingere. Se ipsum conservando etiam se ipsum castum praebet is qui ex Deo natus est. Itaque se ipsum conservare, ut ex tota sententiarum ordine c. 5, v. 18 apparet, idem est atque peccatum seductorum mortiferum fugere et in statu divinae nativitatis fide persistere, eodemque modo se ipsum conservare verbo Dei recte conservato (*τηρεῖν τὸν λόγον* et *τηρεῖν ἑαυτόν* artissime cohaerent). *Ἁγνίζειν ἑαυτόν* et *τηρεῖν ἑαυτόν* ita sibi respondent, ut *ἁγνίζειν* notioni conservandi addat notionem externae castitatis, quae in vita ejus, qui se conservat, aperte conspicitur.*)

Rectius etiam quid sit *ἁγνίζειν* videbimus, si quaeremus, cur Deus *ἁγνός* vocetur. Est autem *ἁγνεία* Dei purissima et integerrima in Christo caritas, quae ab omni sorde alienissima non solum fore ut aliquando nobis appareat, spem praebet, sed efficere vult, ut suam ipsius similitudinem et speciem geramus. Jam Deus apparet *ἁγνός* in visione sua promissa et in visione vere facta, quum sancte nos aeterno amore amet, sancte nos sui ipsius similes reddat.**) Notio *ἁγνείας* ex notione communionis Dei nobiscum inita illustranda est puritatem castitatemque ejus conjugalem denotans.***)

Sed quomodo haec Dei castitas nobis imitanda est? Ita certe, ut eorum consuetudinem et maculam fugiamus, qui Dei castitatem mendaciis suis foedant et polluunt.

Ἁγνίζειν ἑαυτόν est: adulterinam pseudoprophetarum doctrinam operaque foedissima contemnere et quam maxime a se ipso removere, id quod omnibus aliis librorum sacrorum locis confirmatur, utpote quibus moneatur, ut castitatem nostram idolorum et seductorum fuga servemus. Antichristi contra spe

*) Cf. Jacobi (c. 1, v. 27) *ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου* et Petri (c. 1, v. 22) *τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον.* Petri verbis summa continetur primae Joh. epistolae.

**) Apta est haec sanctimoniae appellatio post mentionem visus, qui puritate delectatur. Bengel.

***) Nullum atrocius fingi crimen potest, quam sacrilega perfidia violare conjugium, quod nobiscum unigenitus Dei filius contrahere dignatus est. Calvin Institutio 1559. lib. IV. 10. Ejusdem sententiae in libris: De fugiendis impiorum illicitis sacris, De vitandis superstitionibus sparsim prolatae.

Dei conspiciendi erroribus propagatis prorsus deleta Dei foedus cum ecclesia pactum polluebant et violabant. Idcirco fidelissimi cujusque in casta Dei caritate acquiescentis officium erat, se ipsum ab istorum communione *μετὰ φόβου καὶ τρόμου* segregare et doctrina atque operibus suis Dei castitatem puritatemque celebrare (cf. Pauli *ἐκκαθαίρειν ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων*).

Jam verba illa sequuntur, quibus peccati definitionem contineri supra diximus.

Ac nobis quidem persuasum est, Apostolum verbis illis *πᾶς ὁ ποιῶν* etc. ejusmodi homines perstringere, qui vitae castitate Deo simili neglecta, quum in impuritate et doctrinae et morum versabantur, peccatum perpetrabant. *Ὁ ἁγνίζων ἑαυτόν* et *ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν* adversarii ponuntur, quorum alter alteri repugnat. Idcirco etiam notione *ἁγνείας* adhibita notio *ἁμαρτίας* prorsus contraria explicari potest.

Ex toto sententiarum nexu notionis peccati in versu 4 prolatae hanc vim esse invenimus, ut partim adversetur illi *ποιεῖν τὴν δικαιοσύνην* et *ἁγνίζειν ἑαυτόν*, quippe quod specialem eamque operibus Dei salvificis congruentem sanctitatem significet, partim repugnet Dei justitiae, caritati, castitati, quippe quae divina attributa luce evangelii collustrentur.

Ante omnia inquirendum est, quamnam Apostolus *ἀνομίαν* intellexuit. *Ἀνομία* est enim non solum ea vitae conditio qua quis legis expers est (Gesetzlosigkeit) sed ea quoque qua quis legem transgreditur (Gesetzwidrigkeit)*) *Ἄνομος* igitur et sine lege et contra legem vivit. Quam vero legem peccato violatam censet Johannes? Sunt qui generalem morum legem (Oecumenius, Scholasticus II., Beda, de Wette) vel legem Mosaicam (Hilgenfeld) intelligant. Hac autem de lege in epistola nihil docetur, sed de una sermo est Dei voluntate (c. 2, v. 7) quae in aeternum manet, de uno Dei praecepto, quo fides in Jesum Christum et dilectio fratrum mutua praecipitur (c. 3, v. 23. c. 2, v. 7 etc.), de una denuntiatione (*ἀγγελία*), quae homines caritate imbuit (c. 3, v. 11), denique, quod idem est, de uno verbo ab initio ecclesiae praedicato

*) Cf. Pauli: *ἀνόμως ἁμαρτάνειν* Rom. 2, 12. Xenoph. Mem. I, 2, 24 *ἀνομία* adversatur *τῇ δικαιοσύνῃ*. Ita apud Paulum: 2 Cor. 6, 14. 1 Tim. 1, 9 *δικαίῳ — ἀνόμοις*.

(c. 1, v. 10. c. 2, v. 5. 7: ἡ ἐντολὴ ἡ παλαιά ἐστιν ὁ λόγος cf. v. 24). Unum praeceptum in diversa divisum tamen idem manet (c. 2, v. 4. c. 3, v. 23. c. 5, v. 2 et 3. cf. c. 3, v. 24).

Haec praecepta vocantur non gravia (βαρεῖαι οὐκ εἰσίν) quia amore, quo nihil jucundius aut facilius in nobis inest, praestantur. Contineri illis etiam τὰ ἀρεστὰ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ (c. 3, v. 22) apparet. Quae qui exsequitur, is cum ipso Deo ita conjungitur, ut Deus in illo et ille in Deo sit (c. 3, v. 24) idemque veritatem, summam Dei caritatem, lucem, denique omnem rerum divinarum cognitionem adipiscatur. Quare ex Deo aliquem natum esse e vita secundum Dei praecepta instituta optime intelligitur (c. 2, v. 3).

Quae quum ita sint, Johanneus ille νόμος divina lex est, quae per Jesum Christum revelata legem Mosaicam implet et ante omnia id postulat, ut fides inchoata servetur caritasque fraterna non intermittatur. Ita etiam Lücke, Düsterdieck aliique. Hanc legem violat quicumque peccatum committit.*)

Jam ut ad singula transeamus, articulus τήν non solum ex loquendi usu Johanneo, sed etiam ex certa peccati natura, quam quidem in illa ecclesia deprehenderat, explicandus est. De ἁμαρτίας et ἀνομίας cohaerentia interpretes in varias abierunt sententias. Ac Lutherus quidem iniquitas, inquit, id est peccatum quod committit qui proximum offendit. Huic igitur non omne peccatum iniquitas est. Eodem modo alii veteres, qui ἀνομίαν fructum esse peccati putant. De Wette ἀνομίαν notionem strictiorem et graviorem habere arbitratur, quum exponit: eigentliche Verbrechen, Laster, gesetzwidrige Handlungen, zu welchen die Sünde wegreisst. Alii ἀνομίαν cum notione ἀδικίας comparant, injustitiam et iniquitatem interpretantes. Similiter nonnulli vim legis in voce ἀνομία non respiciunt, septuaginta illi quidem secuti interpretes, qui ἀνομίας vocabulo voces impietatis reddunt. Baur ἀνομίας verbo ethnicismum indicari censet, Sander justam peccati definitionem contineri.

Apostolus cum τὴν ἁμαρτίαν etiam τὴν ἀνομίαν vocet, sine dubio id agit, ut non solum peccati notionem aperiat, sed

*) Cf. 2 Petri 2, 21: ἐπιστρέψαι ἐκ τῆς παραδοθείσης αὐτοῖς ἁγίας ἐντολῆς. Hebr. 8, 6: νενομοθέτηται.

ejusmodi homines respiciens qui nullo aut sensu aut timore impediti gravissima sub specie pietatis peccata perpetrabant, peccati notionem ita auget et cumulat, ut peccatum etiam legis violationem nominet.

Ac profecto praecepta non tantopere in epistola sua lectoribus commendasset Apostolus, nisi ea in ecclesia violari et pollui vidisset. Idcirco peccatum legis sacrosanctae contemptum esse dicit et violationem, quam fieri non possit quin Dei irati poena sequatur. „Frivolam excusationem iis discutit Apostolus, quibus nomen peccati leve videtur.“ Calvin. Verum est quodammodo quod Harduinus exposuit: Et omnis qui deficit a fide Deo et Christo data idem etiam idlolatriam committit, nam defectio a fide est idololatria. Recte etiam Bengel explicat: Ἀνομία horribilius quiddam apud eos praesertim, qui legem et Dei voluntatem magni faciunt, sonat quam ἁμαρτία.

Sine dubio ἁμαρτίας et ἀνομίας notiones, si pugnacem epistolae rationem non spectamus, sed scholae tantummodo et artis dogmaticae usum sequimur, non ita a se differunt, ut sententia augeatur. Immo vero eandem vim habent diverso modo expressam. Ἀνομία nihil aliud est nisi ἁμαρτία, sed ἁμαρτία (quae est generali sensu ἁμαρτία i. e. ἀποτυχεῖν σκοποῦ aberratio, declinatio) legis norma adhibita fit ἀνομία. Itaque recte Lücke: V. 4 beruht auf der formellen Verschiedenheit und der wesentlichen Einerleiheit der Begriffe der ἁμαρτία und ἀνομία. Apostolus vero quod eos refellere vult, qui peccatum suum legis violationem esse confiteri nolebant, peccati notionem legis transgressionem esse eo consilio affirmat, ut Antichristos eorumque discipulos ἀνόμους et ἀντινόμους esse demonstret. Antichristi, qui Dei amatores (c. 4, v. 20) se esse jactabant, quamquam Dei amorem in Christo manifestatum negabant, concedere nolebant, se legem divinam laesisse. Ita illud primum καί in v. 4 recte potest intelligi.

Verbis: καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία sententiam modo dictam firmat Apostolus et auget, ut etiam atque etiam peccatum legis violationem esse admoneat. Alterum καί est simplex copula sermonis gravitati consentanea. Qui ante ἁμαρτία articulum delent, aut qui quod praedicatum est subjectum esse dicunt (Köstlin: Die Gesetzwidrigkeit ist Sünde), neque quid

Apostolus dicat neque quae sermonis sit amplitudo intellexerunt. Pseudoprophetis eorumque discipulis in Dei amorem atque in caritatem fraternam peccantibus pietatis et legs obedientiae, quam jactabant, speciem gloriamque detrahit Johannes, cum eorum operibus Dei legem tolli ostendit. Sander et Erdmann Antichristorum doctrinam antinomisticam fuisse videri censent. Quam rem, cum certa argumenta desint, quamquam in medio relinquo, id tamen ex epistola sequi affirmaverim, eorum vitam legis violatione fuisse pollutam ipsosque, quiquidem doctrina, quam professi sunt, ipsius legis dignitatem imminuisse non videantur, factis leges laesisse.*)

Non est, quod hanc versus 4 interpretationem cum versu 3 et versu 29, c. 2 congruere demonstremus: res enim aperta est. Is enim qui a seductoribus se removet et castum conservat, in eorum societate peccare non potest, et is qui adversus injustos seductores justitiam exercet, exercendo justitiam legibus obtemperat et obedit.

Jam vero aliud est, quod quasi fructum jucundum ex disputatione nostra percipere possimus.

Etenim si is qui peccat exlex est, is qui non peccat, id est, qui in Christi fratrumque communione manet, in lege est vel legem se sequi dicere potest, ita ut fide et caritate servatis lex secundum evangelii doctrinam ei sit patrona et adjutrix. Alia adhuc restat definitio peccati, quae cum apertis verbis non tradatur, conclusione assequenda est.

C. 1, v. 9 peccata confitentibus Dei fides atque justitia ut causa et fons remissionis peccatorum ostenditur. Cum peccatorum remissione in eodem versu purificatio ab omni injustitia (*ἀδικία*) conjungitur.

Qui remittit, idem purificat omni injustitia. Notio peccati hic assumit notionem *ἀδικίας*, qualis ex iis, quae de Deo fideli et justo dicta erant sponte sequitur.

Ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀδικία: propterea quod peccatum

---

*) Non recte transfert Syrus, licet a Boysenio (kritische Erläuterungen des Grundtextes d. N. T. aus der syrischen Uebersetzung 1761) laudatus: ܚܛܝܬܐ ܓܝܪ ܟܠܗ̇ ܥܘܠܐ ܗܝ.

Dei justitiae in Christo mundum salvanti contrarium est atque repugnat.

Aliis igitur iniquitatis generibus omissis *hanc iniquitatem* imprimis vituperat Johannes, qua membra ecclesiae, quae olim Dei justitia ex tenebris in lucem educta sunt, Dei justitiam salvificam fide atque dilectione abjectis sibi non acquirant.

Notio peccati cum notione injustitiae ita quoque componitur, ut c. 5, v. 17 legamus: *πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστίν.* Quod dictum postea cum de peccato mortifero disputabimus, copiosius atque diligentius illustrandum erit.*)

CAPUT III.

DE ORIGINE PECCATI.

In c. 3, v. 5 (usque ad quem quis sententiarum connexus sit, antea vidimus), Apostolus *ea* censet esse ecclesiam scientia, qua cognitum et persuasum habetur, Dei manifestationis in Christo factae *id* esse consilium, ut ille peccata nostra (secundum versum 4 legi divinae prorsus adversantia) auferat.

Cum enim peccati natura ea sit, ut a peccantibus lex Dei sanctissima violetur, ad hoc malum gravissimum tollendum Deus ipse in filio suo apparuit, isque munere suo, ut peccata suscipiendo deleret tam praeclare functus est, ut liber peccato nobis innotuerit.

Peccatum in eo non est: non solum ideo, quod per se sanctissimus est, sed quod sanctissima caritate nos ita amplectitur, ut omnia quae ab ipso ad salutem nostram confirmandam praestanda sunt, integerrimo animo atque perfectissimo opere praestet. Non de absoluta Dei in Christo sanctitate generali sensu in versu 5 agitur, sed de industria de Deo peccati experte contra eos disseritur, qui cum perfectissimam

---

*) Tum demum si agnoscimus cor Apostoli, non jam in vetere illa caritate versantis, si sentimus dolorem vere fidelium fratrum a falsis fratribus rejectorum, si perpendimus injuriam Christo ab Antichristis imputatam, aliquid suspicamur, quid sit apud Johannem *peccatum* et *peccare.*

Dei in Christo oblatam caritatem negabant Dei naturae culpam atque peccatum attribuere audebant. Itaque eodem modo hoc loco de Dei sanctitate agitur, quo in Vetere Testamento Jehova non iniquus neque injustus contra adversarios defenditur (5. Mos. 32, 4. Psalm 92, 16). Si gravem Johannis loquendi rationem: *καὶ ἁμαρτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἐστὶν* eaque quae verba illa sequuntur, examinaveris Dei justificationem adversus calumniatores ejus optime hic factam esse non poteris non concedere.*)

Quia in Deo nullum est peccatum, quicunque in eo manet, non peccat; sed qui peccat, is, etiamsi ex ipsa ecclesia prodeat et a Deo natum se esse jactet, tamen neque vidit Deum neque cognovit.

Quibus verbis postquam peccantibus omnem Dei communionem qua gloriantur abjudicavit, et evidentissimam, qua spiritus cognoscerentur, notam designavit, Johannes in versu 7 quasi digito demonstrat conspicuosque facit eos, quos ubique in epistola spectat et ad eos refellendos omnem impendit operam.

Argumentationis hucusque institutae summam in v. 7 habes: *παιδία, μηδεὶς πλανάτω ὑμᾶς.***)

Ecclesiae adversariis ita detectis, tota verborum compositio a versu 29, c. 2 hucusque pertinens talibus verbis, quae initio compositionis congruunt, non solum concluditur, sed iisdem verbis (*ὁ ποιῶν τὴν δικ. δικ. ἐστιν, καθὼς ἐκ. δικ. ἐστίν*)***)

---

*) Johannes hat immer die Irrlehrer und ihre Sachen vor Augen, und seine Reden, welche er aus den tiefsten Gründen der Wahrheit herleitet, stehen ihnen grade und genau entgegen, als das Licht der Finsterniss; daher kann man immer merken, was er bezielt hat. Steinhofer S. 27. Steinhoferi expositio popularis doctissimos quosdam commentarios superat.

**) Ex hoc loco et ex epist. Pauli, Petri, Jacobi et Judae tempore Apostolorum fuisse quosdam Pseudoprophetas, qui sub specie libertatis christianae omnes nequitiae et turpitudini habenas remittebant, concludere necesse est. Nic. Hemming, Com. in omnes epist. N. T. 1571.

***) Solche Worte sind gleichsam Grenz- und Marksteine, darnach Alles abgezeichnet geht. Es sind evangelische Sprüchwörter, welche den Ausschlag der ganzen Sache geben, und was davon zu halten ist, in einen Hauptsinn zusammenfassen. Steinhofer S. 40.

ad disputationem, quae ut priores sententiae firmentur, statim annexa est, traducitur (cfr. v. 7[b] cum versu 29, c. 2).

Illud πᾶς ὁ ποιῶν τὴν δικαιοσύνην καθὼς ἐκεῖνος δίκαιός ἐστίν ut e contraria parte in versu 8 scriptor demonstret et fulciat, diabolum peccati, quippe quod justitiae repugnet, patrem atque auctorem ostendit et ita ad summam orationis, qua peccatum omni modo respuendum adumbrare vult, progreditur.

Diabolum *), qua voce Deum hominesque calumniandi artes atque opera Satanae significantur, etiam τὸν πονηρόν i. e. malignum perditorem ob eam rem nominat Johannes, quod imprimis fidelibus insidietur eosque arripere studeat (c. 5, v. 18; c. 2, v. 13 et 14). In eo totius mundi qui huic perditori addictus est (c. 5, v. 19) i. e. ejus amplexu atque potentia tenetur, positum est fundamentum, ut omnia, quae in mundo et in usum mundi fiunt, ex eo, quippe quo mundus nitatur, originem trahant. Idcirco per Diabolum Antichristi et pseudoprophetae (αὐτοὶ ἐκ τοῦ κόσμου εἰσίν), omne deinde mendacium in Dei veritatem evangelicam commissum, omne denique peccatum contra Dei praecepta perpetratum totumque tenebrarum regnum in homines emittuntur, ab iisque libenter et cum voluptate (τῇ ἰδίᾳ ἐπιθυμίᾳ) accipiuntur et laudantur (c. 4, v. 5). Omnes seductionis spiritus, quamvis multi sint, ex hoc uno spiritu proficiscuntur. Non alius nisi Diabolus est illud ἐν τῷ κόσμῳ πνεῦμα (c. 4, v. 4 cfr. c. 2, v. 13). Verum non in animo est de natura Diaboli, quem esse Johannes dicit eadem vi atque filium Dei, hoc loco disputare, magis juvabit quaesivisse, quid illud de peccante dictum: ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί significet. Atque Origeni, Bengelio, Erdmannio illud prementibus non: γεννᾶσθαι ἐκ τοῦ διαβόλου, sed εἶναι ἐκ τ. δ. scripsisse Johannem, et inde conficientibus, Johannem omnino dicere non potuisse, peccantem esse ex Diabolo genitum, nequaquam assentiri possumus, quia in versu 10 peccantes τέκνα τοῦ διαβόλου vocantur. Quare peccantibus etiam ex Diabolo natorum nomen inde attribui poterit. Loquendi ratio de peccantium

*) Historiam ejus nuper docte enarravit Roskoff, professor Vindobonensis.

origine usurpata: *εἶναι ἐκ τοῦ διαβ.* tam late patet, ut generationis notionem non excludat.

Cujus modi vero est peccantium ex Diabolo origo? Suntne statuenda duo principia lucis atque tenebrarum, ex quibus et filii Dei et filii Diaboli profecti sunt? At contra hunc errorem perniciosissimum ecclesia christiana semper illud et tenuit et docuit, omnis creaturae exordium primitivum atque originale solo ex Deo esse unico creatore.

Hoc autem loco non de generatione naturali, qua corpus et animam a Deo accipiunt homines, disseritur, sed de peccatoribus agitur, qui „in quantum peccatores sunt" (August.) ex Diabolo sunt nati. Ut generatio Dei filiorum spiritualis est generatio per verbum et spiritum facta, ita ex Diabolo illi sunt nati, qui ex spiritu ejus malo (quod non ad animae substantiam sed ad substantiae depravationem attinet) originem suam duxerunt.*) Etiamsi in toto epistolae consilio clarissima illa filiorum Dei et filiorum Diaboli nititur distinctio, tamen ex c. 2, v. 2 jure concludendum erat, etiam ex Deo natos olim fuisse mundum, ideo in Diaboli, qui semper eos ad se retrahere studet, lapsos fuisse potestatem. Quod si fieri potest, ut Diaboli mancipia ejus manibus eripiantur, eum ut aeternum tenebrarum principium, ex cujus regno nulla fuga esse possit, cogitare non licet. Mundum, creaturam suam, Deus amore aeterno ita amplectitur, ut non alio consilio miserit filium suum in mundum, nisi ut Diaboli opera dissolveret (c. 4, v. 9).

Sed de dualismo quaerere Apostolus in epistola prorsus omittit, quia solum praesentem ecclesiae statum spectans peccatores et justos, ut cognoscantur, evidentissime separare et discernere studet.

---

*) Locus noster in Flacianis controversiis tractatus est. Luthard, Lehre vom fr. W. 210. Quod autem Flaciani objiciunt hoc, quod in Johanne sequitur: in hoc manifesti sunt filii Dei et filii Diaboli atque ex appellatione filiorum Diaboli nituntur astruere impiorum hominum substantiam ad Satanam genitorem referendam esse: sciendum vicissim, impios dici filios Diaboli, non quod is gignat illos: sicut enim Dei est creare hominem, sic parentum est gignere. Diaboli vero nec est creare nec gignere, sed creatum genitumque corrumpere et depravare. Hunnius ad h. l. (In N. ejus T.)

Arta peccantium cum Diabolo societas non ita negetur aut minuatur, ut illud εἶναι ἐκ τ. δ. Diaboli similem esse, vel Diabolum imitari, vel a Diabolo corruptum esse significare dicatur. Ὁ ὢν ἐκ τοῦ διαβ. eandem habet cum eo communionem, quam τὸ τεκνόν cum patre. Recte Cornelius a. L.: ex Diaboli regno, familia et prosapia est. Peccans ex Diabolo ortus cum Diabolo vivit agitque, quamquam cum Estio, Schmidtio, Calovio aliisque in illo: εἶναι ἐκ τ. δ. non jam sempiternam ejus ad peccandum seductionem et irritationem notatam video, immo vero solum peccantis originem detegit Johannes (Düsterd.).

Causam, cur is, qui peccando dat operam, ex Diabolo sit, his verbis exponit scriptor: ὅτι ἀπ᾽ ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει. Bene ad haec verba annotavit Beda: cum praemitteret „ab initio", subjunxit verbum praesentis temporis „peccat" — quia ex quo ab initio coepit Diabolus peccare nunquam desiit. Locutio autem: ἀπ᾽ ἀρχῆς saepius apud Johannem ita usurpatur, ut non ipsa, ut in se incerta atque indefinita, alicujus rei initium denotet, sed ut ea res, quacum connectitur, vim hujus vocis ἀπ᾽ ἀρχῆς circumscribat. De verbo vitae aeternae illud ἀπ᾽ ἀρχῆς eo sensu dictum est, qui aeternitati verbi consentaneus est, ita quidem, ut ii, quod Lutherus recte animadvertit, refutentur, qui verbum jam ab initio praesens nova sua doctrina perdere audebant. Quod verbum ab initio subsistens quum praedicatione apostolica statim primis ecclesiae temporibus innotesceret, ecclesiae initium cum ipso verbo ἀπ᾽ ἀρχῆς incipit. Vetus praeceptum idemque omni tempore novissimum ἀπ᾽ ἀρχῆς habet ecclesia, id est ex eo tempore, quo condita est (c. 2, v. 7). Antichristorum errores quamquam novitatis speciem prae se ferebant, non ἀπ᾽ ἀρχῆς in ecclesia erant propagati, sed „quum dormirent homines, venit inimicus et sevit zizania inter triticum."

His ad notionem formulae ἀπ᾽ ἀρχῆς intellegendam expositis etiam hoc loco, quo Diabolus ab initio peccare dicitur, non e voce ἀπ᾽ ἀρχῆς, quae sententia sit, est eruendum, sed ex Diaboli peccandi genere.*) Quum autem in toto sententiarum

*) Reassumendum est verbum peccat, h. m. Diabolus peccat ab initio τοῦ peccare sive peccati. Seb. Schmidt.

connexu peccatum ab hominibus commissum cum peccato Diaboli connectatur, peccantes filii Diaboli vocentur, et ad hoc filius Dei apparuisse dicatur, ut opera Diaboli (αἱ ἁμαρτίαι Lücke) in mundo perpetrata dissolvat, eam hujus vocis ἀπ' ἀρχῆς interpretationem probamus, qua Diaboli peccandi initium eo tempore, quo homines lapsi sunt, ortum esse dicitur (Lücke, de Wette, Brückner, Düsterdieck). Quam ob rem eorum sententiae nobis displicent, qui hoc ἀπ' ἀρχῆς de primo fere initio ejus creationis (Beda, Trinius, Baumgart.-Crus.) vel de initio mundi, ut Diaboli primum peccatum primo die mundi creati commissum putandum sit (Estius, Piscator), vel de ipsius Diaboli lapsu tempore indefinito peracto (Augustin, Hunnius, Calov, Bengel, Haupt: πρῶτος ὁ διάβολος ἡμάρτηκεν) dictum esse censent. Optime autem Ev. Joh. 8, 44 sententia nostra probatur. Nobiscum etiam facit versus sequens 11. Nam quum praedicatio caritatis mutuae ab initio a nobis audita Diaboli opera ab initio facta irrita reddere velit, ex hoc quoque versu intima Diaboli peccati et ecclesiae conditionis consociatio apparet.

Diabolus quum ab initio generis humani primum atque principalem peccandi auctorem se praebeat, idque peccatorum efficiendorum munus sui proprium numquam dereliquerit, omnes eos et creat et vinctos tenet, qui peccando dant operam.

His expositis jam vero id nobis agendum est, quod a viris doctis nimis neglectum videmus, ut quaeramus, quomodo cum tota epistolae sententiarum polemica, ut ita dicam, ratione atque ecclesiae statu conditioneque hoc conveniat, quod de Diabolo peccandi patre atque auctore dicitur.

Ac postquam semper contendimus, notione peccati et peccandi imprimis Antichristorum doctrinam atque vitam perniciosam significasse Johannem, quippe qui omnibus epistolae locis non omnino de peccati natura praecipiat sed de eo, qui ad proprium ecclesiae statum pertineat, nunc quoniam Johanneam de Diaboli peccati origine doctrinam cognovimus, num sententia illa nostra recte se habeat quaerendum erit.

Diabolus ea imprimis Dei opera splendidissima, quae in Jesu Christo revelata sunt quibusque mundo vita aeterna gratis praebetur, calumnia turpissima tenebrisque obscurare et delere

ardenti cum furore studet. Non solum ut ea peccata efficiat, quae contra legem Sinaiticam fiunt, nequissime operam dat, sed etiam caritatem Dei purissimam per Christum donatam hominibus eripere magnopere cupit. Itaque pseudoprophetis in mundum immissis ecclesiam ab Apostolis conditam dissolvere mutuamque fratrum dilectionem exstinguere omnibus artibus conatur.

Haec Diaboli opera ante omnia ecclesiam perhorrescere vult Johannes, quia Diabolum secuta Christum et Deum omnemque salutis spem amittat.

Quis dubitet quin haec peccandi auctoris ejusque operum imago eis omnibus, quae supra de epistolae consilio disputavimus, congruat atque respondeat?

Primum enim Diaboli peccatum, quod pseudoprophetae omnibus temporibus imitantur, Dei caritatis atque fidei erat exstinctio. Inde ante omnia gratiae divinae permansit hostis, dum a filio Dei ad pugnam provocatur. Qua pugna per eum ita victus est, ut Dei patris caritas in filio unigenito exhibita omnes Diaboli tenebras superet eaque unicuique fideli peccatorum remissionis vitaeque aeternae mansurum sit pignus atque symbolum (1 Joh. c. 2, v. 13. 14; c. 3, v. 8; c. 4, v. 4; c. 5, v. 4. 18. Ev. Joh. c. 14, v. 30; c. 16, v. 11. 33).

Ex interpretibus mihi notis solum Lutherum et Harduinum ita de Diaboli operibus disserere video. Ille saepius in Scholiis: omnia conatur Satan, ut evangelium et fidem exstinguat. Hic: Qui deficit a fide, ex Diaboli instinctu agit et eum imitatur, quoniam ab initio mundi Diabolus Deo resistit nec desinit male agere. Ad hoc autem in mundum venit filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli, quae sunt apostasia a Deo et Christo et duritia atque inhumanitas in fratres.

CAPUT IV.

QUID SIT ILLUD, NON PECCARE EX DEO NATOS.

Haesitantem me neque intrepidum hanc difficillimam quaestionem aggredi non nego. Quod nemo, opinor, erit, cui mirum videatur.

Ecclesiam ad quam litteras scribit Johannes, perpetua pec-

catorum remissione et purificatione indigere clarissimis ille docet verbis c. 1, v. 7 usq. ad 10; c. 2, v. 1 et 2.

Ille qui in luce evangelicae annuntiationis versatur, et in fraterna quoque communione manet, in ea fructum sanguinem Jesu Christi filii Dei, qui eum omni peccato exsolvit, percipit. Quum in versu 7 dicatur, *καθαρίζει* ex hoc praesentis temporis forma apparet, purificationem et omni tempore esse necessariam et omni tempore etiam dari itemque illud *περιπατεῖν ἐν τῷ φωτὶ* et *κοινωνίαν ἔχειν μετ' ἀλλήλων* sine ulla temporis remissione fieri.

Apostolus semet ipsum in numero peccantium refert, quum dicit: *καθαρίζει ἡμᾶς* vel *τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν* vel *παράκλητον ἔχομεν* vel *καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστιν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.*

Nam si respicis Johannis verba: *ἐάν τις ἁμάρτῃ* in v. 1, c. 2, si cogitas fratrem illum committentem peccatum non ad mortem c. 5, v. 16, si tecum reputas epistolae adhortationes (c. 3, v. 18), sine dubio tibi persuasum erit, ecclesiam, ad quam data est epistola, non solum peccatis laborasse, sed in magno peccati dominantis periculo esse versatam. Itaque Apostolus eo consilio scripsit, ne peccaretur (c. 2, v. 1).

In loco c. 1, v. 8 illud: peccatum non habemus (*ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν*) neque de peccato actuali (Aug. Beda, Luth., Calvin, Beda, Calov, Neander, Düsterd., Sander) neque de peccatis levioribus (Socin, Grotius), neque de peccatorum culpa, neque de peccatis praeteritis (Graeci), neque de statu, in quo peccatum non prorsus interiit (Lücke) est explicandum, sed loquendi forma propter pugnam cum seductoribus initam quaesita est, qui quamquam ipsum verbum divinum despiciebant et ecclesiam perturbabant, tamen peccatum se habere negabant. Ita solum causa, cur articulus desit, et loci ipsius sententia intelligi potest. Vera Lutheri ad versum 6 annotatio cadit etiam in versum 8: Est certa nota haereticorum, quod sint jactabundi.

Locutio *ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν* cum altera *οὐχ ἡμαρτήκαμεν* in v. 10 ita nectenda est, ut in commate a v. 6—10 continuum sententiarum progressum habeas, in quo Johannes modo magis magisque ad peccata cognoscenda, confitenda,

remittenda impellit, modo repugnantiam eorum magis demonstrat, qui peccata se non commississe arbitrantur.

Perfecti temporis forma: *οὐχ ἡμαρτήκαμεν* bene eorum significat pertinaciam, qui nullo modo usquam se peccata fecisse somniantur. Quorum puritati, quam jactabant, multitudinem opponit Johannes peccatorum, quum dicit: *ἐὰν ὁμολογ. τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν.* Quam quidem interpretationem si commentarios ad periodum illam illustrandam laboriose conscriptos inspexeris, a vero non abhorrere videbis.

Tenendum est, in initio epistolae non omnino de peccatis agere Apostolum, sed tota expositione a v. 5—10 ea jam ecclesiae peccata adumbrare, quae impugnaturus est. Quid enim? Quomodo magis peccatorum dominationem destruere potuit, quam ita ut ad peccatorum confessionem, remissionem, purificationem et severe et blande invitaret? —

Jam vero quaestio per saecula ab ecclesia christiana proposita oritur, quomodo cum his dictis conveniat locus ille celeberrimus, quem apud Johannem invenimus c. 3, v. 9.

Sed anteaquam ad locum istum interpretandum aggredimur, quam habuit interpretationis historiam cognitu dignissimam enarrare placet. Neque lectori in taedium veniat longior via, nam in ea apparebit, et venenum letale et aquam vivam ex sanctissimo scripturae fonte hausisse hominum genera. Lutherus orationem dominicam magnum martyrem vocat: etiam hoc dictum ejusmodi laude ambigua dignum est.

QUAE SIT HISTORIA INTFRPRETATIONIS LOCI JOHANNEI C. 3, V. 9.

Ac primus quidem loci illius interpres, qui eum etiam cum verbis c. 1, v. 10 connectere studet, exstitit Tertullianus, qui in libro suo de pudicitia scripto c. XIX delictis quibusdam quotidianae incursionis, quibus omnes simus objecti, recensis, dicit, esse et contraria istis ut graviora et exitiosa, quae veniam non capiant, homicidium, idololatriam, fraudem, negationem, blasphemiam utique et moechiam et fornicationem et si quae alia esset violatio templi Dei. Deinde „Horum ultra, inquit, exorator non erit Christus; haec non admittit omnino qui natus inquit, ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, si admiserit.“ Si

peccata graviora, quae Tertullianus vocat, cum peccatis levioribus, quae antea descripserat, comparaveris, jam initia perversae illius inter peccata graviora et leviora distinctionis ab ecclesia Romana receptae apud rhetorem christianum deprehendere poteris. Qua distinctione vir scripturae peritus ipsi scripturae adversatur, quae quod Petrus blasphemans exoratorem habuerit Christum eo nos consolatur.

J o v i n i a n u s (Hieronym. ad. Jov. II, 1.) hanc sententiam inesse putat: eos, qui plena fide in baptismate renati sint, a d i a b o l o n o n p o s s e s u b v e r t i; quicunque autem tentati fuerint, eos ostendere aqua se tantum non spiritu baptizatos.

Contra quem H i e r o n y m u s tam diu, inquit, sciatis vos in generatione Domini permanere, quam diu non peccaveritis. Immo qui in generatione Domini perseverant, peccare non possunt 2 Corinth. 6, 14. Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus diabolum, si peccaverimus et per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit.

I d e m adversus Pelagium (lib. I.): Qui ergo natus est ex Deo, non peccat, quamdiu lumen Dei manet in eo, vividum scilicet. Quocum concinit ejus dictum ad Math. VII: Bona arbor non fert malos fructus, quamdiu in bonitatis studio perseverat, unde apparet his verbis quamdiu, quatenus etc. loci sententiam omnino non explicari, quae quidem ex thesauro Hieronymi deprompta adhuc apud recentiores vigent.

A u g u s t i n u s in controversiis, quae ei erant cum Pelagianis et Donatistis, locum saepe et diligenter tractaverat. Haeretici quum Johanneo dicto ita perverse uterentur, ut puram quandam sanctitatem fideles in hac vita consequi et posse et debere jactarent, Augustinus primi capitis verba de peccatis confitendis itaque remittendis premit et urget iisque omni ex parte illustratis etiam hunc locum accurate explicare studet. Qua in disputatione semper orationem dominicam, quam etiam ipsis arietibus gregis, i. e. apostolis suis dominus dederit, urget, quo confirmet, istos non esse tolerandos, qui dicant, aut esse aut fuisse quemquam praeter unum vere et unice sanctum, qui nullum omnino committeret peccatum. „Docuit beatus Jo-

hannes, neminem in ista carne, in ista corruptibili corpore, in ista terra, in isto maligno saeculo, in vita tentationibus plena, neminem hic vivere sine peccato. Absoluta sententia est non expositione indiget." (Serm. de verb. Apost. sermo 129.)*) Acerrima arte sua dialectica inimicis eam detrahit interpretationem re vera miseram, qua contendebant, propter humilitatem necesse esse, diceremus nos peccatores esse. „Propter humilitatem ergo mentiris? Non accipit Deus mendacem humilitatem tuam. Tu non habes peccatum et dicis te habere peccatum, veritas in te non est." Attamen quomodo cum his dictis locum istum congruere censet Augustinus? „Qui ex Deo natus est, inquit, non peccat, secundum ipsam caritatem dictum est, quae sola non peccat. Ad nativitatem, quippe quae ex Deo est, augenda et perficienda pertinet caritas, non ea quae minuenda est et consumenda cupiditas, quae tamen quamdiu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis. Sed natus ex Deo nec obediens desideriis ejus nec exhibens membra sua iniquitatis peccato, potest dicere: „Jam non ego operor, sed illud quod habitat in me peccatum." (Epist. 95. eodem modo de gratia Christi lib. 1. c. 21.) Postea docet errores humanos renatos facere, sed non impietatem diabolicam, peccata gravia committi ab iis, sed vitam sine querela agi. Saepius ita inter peccata graviora et leviora distinguit, quorum altera renatus committat, altera fugiat. „Non autem quia dico quod non possumus hic esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cetera mortifera peccata, quae uno ictu perimunt. Talia non facit bonae fidei et bonae spei Christianus, sed illa sola, quae quotidianae orationis peniculo tergantur." (Sermo de verb. Apost. Sermo 21.) Interpretationi usitatae, qua inter genera peccatorum distinguitur, haec subjungitur ab illa diversa: „In quantum viget in nobis, quo ex Deo nati sumus, ex fide viventes justi sumus. In quantum autem reliquias mortalitatis ex Adamo habuimus, sine peccato non sumus." Praeterea, quae fuit viri sententiarum copia, haec habes: „justus,

*) Cfr. D. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi tam in vetus quam in nov. test. Commentarii per Joannem Gastium. Basil. MDXLII. p. 749 etc.

ait, non potest peccare, non in re sed in spe, quia sperat, immo jus habet ad vitam aeternam, qua erit impeccabilis. — De jure non de facto peccat — et quae sunt ceterae explanationes (apud Cornelium a Lapide).

His omnibus ab Augustino allatis, verum est, eum fuisse diversarum sententiarum patronum atque auctorem et ita a discipulis, qui inter se valde dissentiunt, parentem communem potuisse haberi.

Quoniam vidimus, Augustinum contra Haereticos locum istum obscurantes certasse, occasione data peropportunum nobis videtur, breviter notare, quomodo Haeretici et Fanatici loco isto usque ad hanc aetatem abusi sint.

Omnibus ecclesiae temporibus ejusmodi inveniuntur viri, falsorum spirituum nomine dignissimi, qui ad arbitrium locum Johanneum ita pervertant, ut in eo perfectam quandam, quae jam in hac vita acquiri possit, peccatorum libertatem expressam esse putent. Excellentissimus ecclesiae orientalis theologus Athanasius, quoniam locis V. Testamenti Johanneo simillimis ad eam sententiam falsam deductus est, ut crederet, fuisse olim *ἁγίους πολλοὺς καθαροὺς πάσης ἁμαρτίας*, quid mirum nobis videatur, si minora, quae cum eo nullo modo comparari possunt, ingenia ex loco Johanneo vana de fidelium impeccantia opinione imbuti sint. Et Pelagianos, qui in virtute humanae naturae impeccantiae spem ponebant, et Donatistas, qui ejusmodi statum perfectum christianae sanctitatis studio assequendum esse sperabant, Augustinus acriter refutavit. Sed iterum iterumque hoc commentum natum et auctum est, cujus praesertim inter eos amici ac defensores exstiterunt, qui vel mysticam quandam cum Deo inivisse se credebant unionem vel singulari illuminatione et divino quodam lumine clarissimo praeditos se esse persuasum habebant. Atque Mysticus quidem Henricus Suso etiamsi quibusdam temporis momentis jam ita cum Deo ethica unione se consociatum fuisse putabat, ut „der Mensch in die blosse Gottheit verzückt war“, tamen locum Johanneum (c. 1, v. 10) contemplans: „denn Johannes selbst spricht, nehmen wir uns des an, dass wir nicht Sünde haben, so trügen wir uns selbst und ist keine Wahrheit in uns“ ad perfectionis fines perducitur. Quam vero perfectionem aperte affirmatam esse censet apud

Johannem qui dicit: „sofern wir uns selber nicht bleiben, merken wir nicht Gebrechen, dass der Mensch, der aus Gott geboren ist, nicht Sünde thut und nicht Gebrechen übet, denn der göttliche Same bleibet in ihm.“ *) Reformatores mox Baptistae mox Schwenckfeldiani impeccantiae simulatores exorire videbant, quibuscum viri justi pugnam conserere debebant, inter moriendum continentes, „dass sie in ihrem Leben nie etwas Gutes gethan hätten.“ Saeculo sexto decimo Madame Guyon in illo libro: die stete Freude des Geistes, das eigene Kleinod derer, die den Vater anbeten im Geist und in der Wahrheit (Frkf. 1766) sententiam eloquitur: „ein recht gelassener Mensch kann auch nicht sündigen, es sei denn, dass er aus seiner Ueberlegung ausgehe, denn die Sünde ist nicht mehr in ihm, sondern ausser ihm.“

Eodem saeculo Fox lumen internum quod etiam „semen in nobis“ vocat (realem spiritualem substantiam Barclay) cum Quaecorum secta quasi novam sententiam communicavit, quae denique eos usque eo „out of truth in vain imaginations“ tradidit, ut Jacob Nayler se ipsum „as the beauty and innocency, dear and precious son of Zion“ adorari sineret. Jure igitur capitis damnatus (guilty of horrid blasphemy) iste tristissimi eorum erroris nobis praebet exemplum, qui falso semini Dei addicti se et alios seducant.**) Neminem fere in Germania studiosiorem hujus interpretationis amatorem audire potes quam Dippelium, „der den Wiedergeborenen ein so hohes Ziel setzt, dass sie den alten Menschen völlig tödteten und auszögen.“***) Ex nostratibus Darbiysti huic errori maxime indulgent. Nunquam sane in ecclesia christiana locus Johanneus ansam praebere desistet ad conformandam falsam vitae perfectionem, sed semper id quoque observari poterit, fieri, ut impeccantia fictitia relicta omnem libidinum voluptatem sancti illi expleant, etiam hoc modo verbo Johanneo laeti, nam quotcunque peccata perpetrent, peccare se tamen non posse, quod Johannes id scripserit. Aeque et Libertini intempe-

*) Böhringer, dritte Abth. p. 397.
**) Weingarten, Die Revolutionskirchen Englands p. 266 etc.
***) Walch, Religions-Streitigkeiten. Andr. Thl. p. 750.

rantes ac dissoluti et Mystici jejunia exercentes Johannem se sequi putabant. Sed haereticis jam cognitis, ad historiam exegeseos redeamus.

Inter Graecos solum Oecumenium cognoscere licuit, qui breviter de Dei spiritu in nobis manente et efficiente, ne mens nostra recipiat peccatum, disserit.

Venerabilis ille Beda in expositione sua suaviter et jucunde conscripta de violatione caritatis explicat: „quidquid vis habe, hoc solum si non habes, nihil tibi prodest. Alia si non habes, hoc habe et implesti legem.“ Ut saepius ita etiam in hac re Augustini vestigia premit Anglus.

Bernhardi est illa explanatio saepe laudata: „Notanda est vis verborum, non peccata facit, quod patitur potius quam facit; qui ex Deo natus est non potest peccare, perseverando scilicet in peccato, dum legi Dei cum mente servit, etiam carnem festinat subigere: quae tentatione et peccato incurrente legi peccati videbatur servire.“

Sed non solum hanc explicationem profert Abbas Clarevallensis, sed alias quoque habet expositiones celebratu ac notatu dignissimas easque Reformatorum evangelio maxime consentaneas. „Hoc glutino, inquit, agglutinavit nos sibi ille divinus intuitus a constitutione mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. Scimus enim, qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio coelestis servat eum. Generatio coelestis est aeterna praedestinatio, qua Deus praevidet nos conformes fieri imagini filii sui. Ex his nullus peccat, id est in peccato perseverat, quia novit Dominus, qui sunt ejus et propositum Dei manet immobile. Etsi horrendorum criminum nota David inuritur, etsi Maria Magdalena septem daemonibus cumulatur, etsi princeps Apostolorum in profundum negationis submergitur: non est tamen qui de manu Dei possit eruere (de diversis Serm. II, 5).“ Adjungit vero alio loco (in Septuagesima Sermo pr. 1). „Sed generationem istam, quis enarrabit? Quis potest dicere: ego de electis sum? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur.“ Vere evangelico modo locum illum meditatione sua piissima exornat vir hac in re sanctus, quum in clarissima cantici canticorum ex-

positione exclamat: O solus vere beatus, cui non imputabit Dominus peccatum. Nam qui non habuerit peccatum, nemo. Omnes enim peccaverunt, omnes egent gloria Dei. Quis accusabit tamen adversus electos Dei? Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi. Omne quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit. Non peccare, Dei justitia est: hominis justitia indulgentia Dei. Vidi haec et intellexi illius sententiae veritatem: omnis qui ex Deo natus est, non peccat. Caritas patris ipsorum multitudinem peccatorum abscondit (serm. 23, 15 cf. de gratia et lib. arb. c. 9, 29).

Lyra in annotatis suis non incommode haec scripsit: „Omnis qui videt Deum clare, peccare non potest; cum videat ipsum summum bonum, nullo modo potest averti ab eo per peccatum.“

Medii aevi interpretibus omissis jam ad Lutherum Germanorum magistrum et quasi prophetam accedamus, quem locos Johannis difficiles non ita conjunxisse audimus, ut ecclesiae catholicae auctoritatem secutus falso gravia peccata a levibus discerneret, sed ut veri Christiani vitam pugnam perpetuam militiamque sempiternam esse describeret. Qua in pugna quamquam vere Christianus etiam coram mundo peccet et graviter peccet, ut Petrus dominum suum negaverit, attamen nullo modo ei obtingere posse ait, ut in peccato persistat, pergat, se ipsum obduret. Quin etiam semper eum ad gratiam redire, peccatorum remissionem quaerere, peccatis etiam vulnere inflicto se opponere. Alios qui fide careant non solum peccatum facere, sed turpi fuga cedere hosti ejusque dominatione pressos teneri. De talibus peccatoribus loqui Johannem, de peccato, quod non agnoscatur, quod non poeniteatur, in quo pergatur. „Peccatum in Christianis murmurare potest, regnare non potest.“ „Iis qui sunt in Christo peccatum non est peccatum, sed circumfusi undique divina misericordia in omnibus quae faciunt, Deo placent, propter fidem quam erga Deum habent.“ His et similibus dictis Lutherus bonum quem hac in re quaerit, se ipse praestat theologum, etiamsi ejus explanatio accuratiorem, quae ecclesiae conditioni consentanea est, postulat definitionem. Summa

autem sententiae ab eo prolatae haec est: ex Deo natum non ita posse peccare, ut in peccando non resipiscens permaneat.

Calvinus et Lutheri sententias probat et cum Augustino in eo consentit, esse regenerationem non uno momento perfectam, sed semper residuum manere veteris naturae. Sed aliam quoque expositionem propriam ecclesiae reformatae tradidit, ab hac nunquam relictam. In verbis illis: „non potest peccare" interpretandis omnem operam et laborem collocat et locum magna ingenii sagacitate ita illustrat, ut inflexibilem sanctorum perseverantiam in eo expressam inveniat. „Nos non dubitamus, quin semen illud, quo electos suos regenerat Deus, ut est incorruptibile, ita perpetuam vim retineat. Fieri quidem posse fatemur, ut interdum suffocetur, sed carbo vivus sub cineribus latet." Magister Genevensis quum per totam suam vitam pugnis refertam et cum Sorbonicis et cum Anabaptistis et cum Libertinis congredi coactus sit, locum illum tanta sollertia adhibet, ut contra Sorbonicos ex eo demonstret, non ex libero arbitrio pendere, Spiritusne gratiam homines habere an amittere velint, sed tam efficacem esse Spiritus motum, ut necessario nos in constanti justitiae obedientia retineat; contra autem Anabapistas vanam perfectionis opinionem eo argumento refutet, quod nusquam in hac vita regeneratio sit perfecta; contra Libertinos, qui simulatione et nomine istius loci fidelibus quidvis facere licere volebant, quia peccare non possent, divinam legem in cordibus fidelium esse inscriptam ideoque eos peccare non posse affirmat. Zwinglius in loco nostro explicando suffragatur Luthero quum docet, pios et fideles non ita peccare, ut in peccato haereant ac perseverent. Quam sententiam in annotatis ad c. 5 v. 18 ita limitat, ut dicat: pios perfidiam et incredulitatem non committere, sed fide sese custodire. Bullinger, Zwinglii discipulus et successor, verum Johannis sensum attingit quum ad c. 5 exclamat: quae major est injuria, quam praedilectum Dei filium, aeternam veritatem et salutem paratam nullo modo agnoscere aut recipere, immo oblatam conviciis proscindere et summo cum ludibrio fastidire?

Calvini expositionem ante omnes defendit Franciscus

Gomarus, qui locum illum saepius in operibus suis et contra **Bellarminum** et contra **Remonstrantes** illustrat et tuetur. In disputatione ejus, quidnam per quam vivam Ev. Joh. 4, v. 10 et 13 et 14 a Christo memoratam significetur (opera theol. Amst. 1664. pag. 289), Bellarminum impugnat qui contenderat: Sententia Apostoli haec est: qui natus est ex Deo non peccat nec peccare potest letaliter, dum perseverat filius Dei, quoniam semen ejus, id est caritas, in ipso manet. Semen non potest manere, si quis eam abjiciat et cupiditati sponte succumbat. Huic Gomarus sententias duas opponit, alteram: omnis, qui natus est ex Deo, **manet** filius Dei, et alteram: semen Dei **manet** in ex Deo nato, ergo peccare non potest. Remonstrantes (Acta Rem. de pers. p. 321 etc.) defensione doctrinae de perseverantia (p. 229 inter disputationes) refutat Dordracenus ita: „decima septima perseverantiae sanctorum assertio est perillustris 1 Joh. 3, 9." Quam tractationem ita incipit: „cujus clarissimae sententiae lucem quum adversarii laciniosa oratione variisque dolis offuscare studeant, ea paucis licet explicanda. Peccatum facere et peccare (quae eodem sensu usurpantur) non proprie ac generatim hoc loco legem Dei transgredi notat. Verum improprie peccato plene dominanti servire, peccatis omnino deditum esse." Remonstrantes pervertebant semen in l. i. in divinam indolem, divinumque affectum manere nihil aliud valere nisi esse illam indolem docebant. Hoc modo iis non magni negotii erat, renatorum lapsum letalem et fidei defectum credere. (Gomar. in epist. Joh. pag. 729.) Haec Calvini et Gomari interpretatio, quam optimi ecclesiae reformatae theologi sequi soliti sunt, et bonum et perversum usum apud ejus socios habuit. Nam permulti, ut **Puritanorum** historia et ipse **Cromwell** docet, in hac voce ita fiduciam suam collocabant, ut quadam cordis pertinacia caeci atque intrepidi et caritatis fraternae, de qua potissimum agit Johannes, obliti totiusque vitae renovationi non dediti semetipsos obdurarent. Certo aliam responsionem atque Cromwell moriturus acceperat, ei dari debuisse constat. Christus vivus fidelibus praesens adjutor non est dogma mortuum. Si vero vis veram peccati notionem intelligere, sanctissimam **martyrum** historiam perscrutare, qui integerrima in Christum fide et

sincerissima in fratres evangelicos caritate adversus Antichristos, qui eos omni modo et perdere et pellicere studebant, divina vi afflati *οὐ δύνανται ἁμαρτάνειν.* Immo vero inter intolerabiles cruciatus semimortui semen Dei in iis mansit eosque in Christi et fratrum societate indissolubili servabat. Nihil verius Oetingeri dicto: nur in einer lebendigen Gemeinschaft der Gläubigen kann der erste Brief Johannis erklärt werden. In tali vero communione non generali modo, ut omnes mortales peccant, peccatur, sed ita ut fides coelestis contemnatur, fratrum caritas (*ἡ πρώτη ἀγάπη*) respuatur, seductorum falsa doctrina accipiatur. Si non tenerrimam societatis christianae rationem, mollissimum in ea affectuum genus, Christi et Christianorum nodos et vincula piissima respicimus, peccati naturam in Joh. epistola datam intelligere non possumus. —

Calvinistarum adversarii acerrimi exstiterunt Hunnius et Calovius. „Quoniam hac Apostolorum sententia fanatici quidam spiritus, inquit celeberrimus Hunnius, abutuntur ad probandum, quod renati semen Dei simpliciter amplius non amittere, nec Dei gratia excidere possint, Apostolica *γνώμη* ita accurate et docte explicanda est, ut Johannes docere velit, renascentiam et peccandi propositum sic esse opposita, ut se mutuo ex necessitate tollant ac destruant, et consistere in eodem homine semel eodemque tempore minime queant. Proinde qui ex Deo natus est, quatenus is est renatus et quamdiu renatus permaneat, peccatum certe non committit: peccatum scilicet contra conscientiam et ex deliberato animo proposito consilioque perfectum."

Calovius Hunnium secutus Calvinistas jam in artic. XII Augustanae (damnant Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum*)), cujus socii esse cupiant, damnatos videt et adversus Perkinsum aliosque Reformatos semen incorruptibile in renatis inesse putat non ratione

*) Niemals haben die Urkunden des reformirten Lehrbegriffes eine Unverlierbarkeit des Rechtfertigungsstandes mit Einmischung sittlicher Gleichgültigkeit oder irgend welcher Antinomisterei vorgetragen. Nitzsch, Urkdbuch p. 32.

subjecti, in quo sit et quod in eo suffocari nequeat, sed quod natura sua ἄφθαρτον sit. Quis vero non videt, Johannem non de natura seminis loqui, sed manere id dicere in renatis, et ita non Calvinianos sed Calovium „in Logicam peccare." Hunnio consentiens denique contendit, peccata graviora ut homicidium, odium, immisericordiam a renatis fieri non posse.

Anteaquam ad Pietistarum studia exegetica nos convertamus, catholicae expositionis patrem probatissimum Cornelium a Lapide inspicere necesse est. Hic interpretationem suam a Joviniano, Luthero, Calvino damnandis incipit, qui omnes fidelem non posse excidere a fide, gratia et justitia eumque salutem suam certam tenere, falso, id quod facile sit ad intelligendum, deliraverint. Ipsius sententia, quam etiam Oecumenium, Thomam Anglicum, Cajetanum, Hieronymum habuisse vult, ejusmodi est, ut renatum sensu composito, id est, quatenus ex Deo natus sit, et quamdiu nativitatem conservet, non posse peccare putet. Tum discrimen esse dicit inter conditiones divinae gratiae supernaturales et conditiones virtutum moralium naturales, quarum illis omne peccatum excludatur, his non item. Ex illo: non potest, et aegre potest, et non vult, et non de jure potest facit. Quin etiam quosdam electos virtutibus ad vitam aeternam necessariis praeditos nobis ostendit, quippe qui in extrema vita nequeant esse in peccato, itaque habet, quae subsidia commendet, si quis ad quasi quandam impeccabilitatem pervenire velit. Qua Romanorum doctrina quid esse potest tristius, quid miserius?

Pietistarum studia in locum illum impensa etiamsi majore animorum impetu feruntur, tamen ecclesiae orthodoxae vestigia premunt. Ac Spenerus quidem Lutherum redivivum producens ejus sententias facit suas: Nicht wer die Sünde an sich hat (c. 1, v. 8), die Böses an ihm thut (Röm. 7, 20), daran er aber Missfallen trägt, sondern der die Sünde liebt, dieselbe mit Wissen und Willen thut und vollbringt oder vollendet. Die Sünde thun heisst die Sünde leugnen, den Vorsprecher und Versöhner wegstossen, dessen Gebote nicht halten noch sich reinigen."

Inter Wurtembergiae interpretes, quorum memoria hic optimo jure recolitur, Hedinger populari atque acri sermone, Oetinger philosophica quadam perscrutatione, Bengel subtilissima et jucundissima explanatione, Steinhofer, in quo animi simplicitas theosophiae acumina mitigaverat et conspicuos exegeseos popularis fructus protulerat, floruerunt qui item ad epistolam Johanneam studia praecipua contulerunt. Steinhofer veram peccati notionem in introductione sua attingit, quum dicit: „Die Werke der Irrlehrer waren nach ihrer Lehre, sie flossen aus der unreinen Lehre: sie sündigten also vermöge ihrer Lehrsätze, und eine böse Lehre führte die andere und ein böses Werk das andere“, et item ad locum, de quo agitur: „Johannes redet im Gegensatz zu einem wirklichen gegenwärtigen Zustand und will seinen Zuhörern sagen: es wollen sich Leute mit euch einlassen, welche bei grossem Ruhm der Kindschaft und des geheimen Umganges mit Gott Dinge frei thun können, welche ein wahres Kind Gottes unmöglich thun kann. Daraus erhellt, was dies für Menschen sind, damit ihr nicht ihrem losen Geschwätz Gehör gebet“, attamen denique sensum eo vertit, ut interpretetur: „Die Kinder Gottes können nicht so sündigen, wie die Kinder dieser Welt sündigen.“ Oetinger (Inhalt der erst. Epistel Joh., sämmtl. Schriften, Ehmann. Vierter Bd. 1861.) etiamsi recte contendit: „Glauben und aus dem Glauben lieben sind die wahren und sichersten Kennzeichen der Gerechtigkeit“, similiter exponit: „der Wiedergeborene kann nicht auf solche Weise wie die Welt sündigen, obwohl er tägliche Verstösse macht.“ Rieger in bibliis explicatis rem ita se habere censet, ut unser Hassen und Tödten der Sünde uns in Gottes Augen und nach seiner Schätzung ein Lossein von der Sünde austrägt.

Pietistas sequuntur et discipuli et irrisores Rationalistae. Atque Paulus Heidelbergensis verba facit, quae a natura et indole ecclesiae christianae prorsus abhorrent: „Gewiss kann der Mensch und Christ, wenn er den allumfassenden Vorsatz des Rechtwollens an sich mit Ueberzeugung und Begeisterung hervorgebracht hat, diesen auch durch immer erneuerte, lebendig motivirte Wiederholung zu einer solchen Festigkeit und Entschiedenheit bringen, dass er nicht sündigen kann d. i. dass

seine ganze Geistigkeit und Angewöhnung sich dagegen in ihm sträuben und vorwalten würde."

Quae ut confirmet vir grandiloquus dicta quaedam affert classica, deinde exemplum a recta scribendi doctrinae methodo affert et acerrime impugnanda esse censet: „jene unseligen Theorieen, die da sagen: ein Kind Gottes kann und soll nur immer in der Armensünderdemuth bleiben und bekennen: ich kann gar nicht aufhören zu sündigen."

Est vero hoc hujus aetatis imprimis proprium, id quod non solum in epistola nostra interpretanda observare possumus, ut omnes fere interpretationes olim a viris doctis prolatae amicos habeant et defensores. Artem interpretandi, quam nos colimus quaque omnia dogmaticae artis vincula et postulata deponere studemus, adumbrare difficile est. Nam variae et inter se discrepantes sententiae ex copia multis saeculis collecta emergunt et modo recte modo perverse defenduntur. Dici potest veteres nimium, nos parum publicam doctrinae ecclesiae evangelicae normam in interpretanda scriptura tenere. Quare periculum est, ne cujus oculis sententiarum multitudine tenebrae offundantur. Attamen dubitari non potest, quia aequales nostri subtiliore interpretandi ratione usi scriptores sanctos melius cognoscere studeant, acutius alium ab alio segregant, uniuscujusque ingenium sagacius perspiciunt. Quo factum est, ut nonnullas res, quae veteribus dogmatica scripturae explanatione enixis erant ignotae, hujus aetatis viri docti explanaverint.

Lücke, **Neander**, **De Wette**, **Düsterdieck** loco illi: „einen idealen Sinn" vindicant et accuratam et quae verbum premat expositionem negligendam esse volunt, etiamsi haec probant: „Obwohl auch im wirklichen Leben der Gotteskinder etwas vorhanden ist, das dem idealen Worte: sie können nicht sündigen, im vollsten Sinne entspricht." Reliqui interpretes recentiores realem et qui experientiae consentaneus sit sensum eruere student alius alio modo interpretandi difficultatem superare studentes. Mirum quam diligens illius in ecclesia reformata traditae expositionis exstitit defensor Lutheranus ille Sander. Quod quasi vindex fecisse videtur, nam a nonnullis in Nederlandia sancta illa veterum auctoritate probata loci sententia jam relicta et contemta est.

H. van Heyningen enim explicat (Bijbeloefening over de drie brieven van Johannes, Schoonhaven 1842. p. 91): Hij kan niet zondigen, in de zonde zijnen lust niet vinden, van welke God eenen afkeer heeft. A. Brink over den 1. brief van den Apostel Joh. (Amsterd. 1806. p. 237 etc.) rectius dicit: somtijds wordt dit zaad door't onkruid in deszelfs wasdom gehinderd, doch nimmer geheel belet, om vruchten voort te brengen. Similiter H. E. Vinke (Het Nieuwe Testament met ophelderende en toepasselijke anmerkingen. Utrecht 1864. p. 154 u. 155): Wie waarlijk uit God geboren is, heeft een nieuw leven des geestes, een leven mit God ontvangen. Dat leven kan wel voor en tijd verminderen en kwijnen, maar nooit geheel verdwijnen en uitgebluscht worden. Approbatur vero in Gomari patria patrum expositio a Scholtenio (de leer der hervormde kerk 4 uitgave II. deel p. 160 cf. 471, 500, 535, 537): Op denzelfden bodem van het Pelagianisme ontsproot de banvloek, door de trentsche Kerkvergadering uitgesproken over de leer, daat de geregtvaardigde en wedergeboren Christen niet zondigen, noch van het geloof afvallen kan (Sess. VI, c. 12); eene veroordeling, die zich de Protestant laat welgevallen, omdat hij met de Aposteln overtuigd is, dat hij, die uit God geboren is, niet zondigen kan. — — — Zegt men, dit is slechts eene zedelijke noodzakelijkheid, wij stemmen het toe, mits het woord slechts niet beteekene, dat hetgeen zedelijk noodzakelijk is of niet of minder noodzakelijk zou wesen. — Als σαρκικοί konden zij vroeger zich an Gods wet niet onderwerpen (Rom. 8, 7), nu, uit God geboren, kunnen zij niet meer zondigen.

Tempus est finem historiae interpretationis facere et interpretationem ipsam aggredi. Eo sententiarum ordine qui est in toto commate a. v. 1 usque ad v. 9 jam supra constituto, versus 9 versum 8 ita subsequitur, ut Johannes affirmet, ei, qui ex Diabolo sit, illum, qui ex Deo sit, esse oppositum et eodem modo diabolicae naturae, quae constet in peccando, divinam naturam, quae in non peccando vim suam exerceat, adversari. Porro ut Diabolus ab initio peccet, ergo in peccando persistat, ita ex Deo natum in non peccando permanere, quia semen ejus in se contineat. Quam ex Deo natorum proprie-

tatem Dei filii manifestatione effectam esse, eum enim Diaboli opera dissolvisse et una cum eo, ut filio Dei et peccatorum inimico, alios Dei filios et ipsos peccatorum expertes exstitisse.

Illud πᾶς ὁ γεγεννημένος, quo Apostolus quum alibi tum in capite tertio quinquies utitur, non solum generalem enuntiati vim significat, sed etiam cum acerbitate quadam adversus eos dictum est, qui divinam suam esse originem simulabant. In verbis ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ vim habet illud ἐκ τοῦ θεοῦ et illi ἐκ τοῦ διαβόλου adversatur, itaque exeunte versu iteratur et severe atque graviter premitur. Deum et Dei filios ab omni peccatorum communione vindicare studet Apostolus. Divina nativitas quum forma perfecti temporis significetur, perfectam habet et absolutam notionem non solum quia omnis nativitas uno fit momento, sed etiam quia Deus et Diabolus, Dei filii et Diaboli filii, q u a l e s s u n t e t m a n e n t, e contrario ponuntur.

Omnes igitur ejusmodi sententiae sunt refutandae, quibus dicitur: quatenus vel quousque natus est ex Deo. Non hominis renati p a r t e s ita ut altera peccet, altera non peccet, distinguit Johannes, sed totas personas aut diabolicas aut divinas discernit. Quis igitur est, qui certissimo illo gravissimoque dicendi genere eam exprimi putet sententiam a nobis supplendam, tantum partem quandam Dei filii revera esse renatam. Renascens autem natura quomodo cum vetere cohaereat, non nostrum est hoc loco disquirere, quoniam τοῦ τέκνου τοῦ θεοῦ spiritualis indoles ubique praevalens describitur.

Quod articulus ante ἁμαρτίαν omissus est, hoc notionem peccati amplificat, secundum loquendi formam Johanni usitatissimam, similiter ut in v. 5 cf. c. 1, v. 5; c. 4, v. 8 etc. Neque minoris momenti est quod ἁμαρτίαν illud οὐ ποιεῖ antecedit. Ita enim qui ex Deo natus sit, eum ne cogitari quidem posse peccare affirmatur. Ἁμαρτίαν ποιεῖν ab ἁμαρτάνειν ita differt ut sit: „der schärfere und präcisere Begriff". Neque vero adeo urgendum est, ut notio insit: peccare contumaciter (A r e t i u s), contra conscientiam et impoenitenter (R o s e n m ü l l e r), peccato operam dare (B e z a), peccare scientem et volentem (S p e n e r), sinere regnare peccatum (H u n n i u s), sceleratum esse (C a p e l l u s), peccata mortalia committere (C a t h o l i c i). Nam

neque ex renascentiae natura neque ex notione faciendi peccatum, sed sola ex notione peccati ipsa recte definienda locus difficillimus recte intelligitur. Ejusmodi peccatum est statuendum, quod revera renatus non facit.

Causam cur ex Deo natus peccatum non faciat, his verbis indicat Johannes: ὅτι τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει. Genetivus αὐτοῦ ad Deum referendus est, cujus illud semen est, quod in filio Dei manet. Hoc semine Deus ipse in nobis est et regnat (cf. v. 15: θεὸς ἐν αὐτῷ). Ut filius patris naturam semine patris dato accipit, ita Deus filios suos generat semen suum iis tradens et ingenerans. Quid vero semen illud ex Deo in renatos transiens significat?

Necesse est, id esse aliquid vivum, efficax, ex personali sua natura personam formans et efficiens.*) Neque enim alia re nisi solo hoc semine Deus ita in nobis operatur, ut peccatum non faciamus, immo vero justitiae simus studiosissimi. Neque enim ipsius hominis renati viribus et laboribus fit, ut peccatum non faciat, sed est semen illud maximi aestimandum, quod renatos vivificando, conservando, in iis manendo a peccatis retinet. Semen non idem esse potest ac τὸ τέκνον, ita ut regenerans regeneratum significet (Bengel) neque pro semine ponendum est semen quasi divinum (Semler), neque est der Bildungstrieb für's Gute (Paulus), neque religionem notat (Fritzsche). Immo vero aut verbum divinum aut spiritum sanctum semen nos intelligere oportet. Verbum divinum in renatis inesse dicit Johannes c. 1, v. 10; c. 2, v. 5 (verbo conservato in Deo sumus), v. 14, 24; c. 4, v. 6 (eo quod Apostolos

---

*) Quis Weissio (bibl. Theol.) assentiri audet, qui Jesum quidem in orationibus Sp. sancti personalitatem docuisse recte affirmat, Johannem vero in epistola hanc suam non fecisse doctrinam putat. Immo vero argumentis, quibus Weiss in evangelio personalem Sp. s. naturam esse demonstrat, iisdem eadem res in epistola quoque probari potest. Videas Johannis enuntiata: τὸ χρῖσμα διδάσκει, τὸ πνεῦμα μαρτυρεῖν, τὸ πνεῦμα ὁμολογεῖ, quae Jesu de Sp. s. efficacia et natura dictis prorsus sunt similia. Num discipulus hac in re gravissima magistrum non intellexit? Bene dicit Christlieb (moderne Zerfl. 2. Aufl. p. 277): „Muss nicht dem auf volle und wahre gottebenbildliche Persönlichkeit hinarbeitenden Geiste selbst auch Persönlichkeit zukommen?“

audimus ex Deo nos esse apparet); spiritum sanctum renatis esse datum ipse dicit c. 2, v. 20, 27; c. 3, v. 24; c. 4, v. 13; c. 5, v. 10 (*μαρτυρία* est spiritus testificans). Quae quum ita sint, Johannem spiritum potissimum sanctum semen intellexisse credimus, quia secundum ejus doctrinam spiritus in terris testatur (c. 5, v. 6 et 8) ergo omnia opera divina perpetrat et sensum internum (*διάνοιαν* c. 5, v. 20) nobis dat, quo Deum et cognoscamus et in eo maneamus. Quum spiritum sanctum semen interpretamur, nec verbum divinum spiritu formatum nec vires aut virtutes regenerationis nec ipsum Christum (Oecumenius, Ebrard, Lücke, Huther) abesse censemus. Spiritus enim omnia haec in se continet et ut ex se proveniant facit, quae videlicet omnia spiritus sunt (c. 5, v. 6).

Contemplantibus nobis Spiritus vim et testimonium in prima Johannis epistola descripta, hoc unum tantum ille agere studet, ut ecclesiam in filio Dei et ita in Deo ipso conservet. Contra spiritum mundi et antichristorum pugnat et una cum aqua et sanguine Jesum Christum in carnem advenisse testatur (c. 5). Idem Dei praecepta, quibus caritas et in Deum et in fratres imperatur, in nobis exsequitur et ejusmodi nos confirmat et instruit certa fide et veritate ad liquidum explorata, ut nullum mendacium, quia non est in eo, ne in nobis quidem esse possit (c. 2, 27. c. 3, 24). Quae quum Spiritus opera esse epistola doceatur, etiam hoc loco semen renatorum eo consilio in iis manere credendum est, ut ejus virtute vivifica, testimonio gravi, illuminatione certa seductoribus contemptis in filio Dei revelato perseverent et perseverando Diaboli opera dissolvant. Itaque omnes illorum explicationes, qui proprium spiritus opus, quale in hac epistola adumbratur, praetereunt, sunt rejiciendae. Johannes pergit: *ἐν αὐτῷ μένει.* Quod ita ut scriptum exstat retinendum est, neque illis: „quatenus, quamdiu, in quantum“ diminuendum aut prorsus delendum. Illustrare possumus Johannis fidem, quae moveri non potest, certissimam, qua quidem fide semen in renatis manere persuasum habet, omnibus illis dictis, quibus ecclesiae victoriam de mundo et satana jam reportatam celebrat (c. 2, v. 13, 14 *νενικήκατε*; c. 5, v. 4 *ἡ νικήσασα*) aut quibus scientiam suam, quae falli non potest, praedicat, omnes renatos in Deo esse et manere et sine dubio

Deum ipsum esse visuros. Quare interpretum audaciae adversari debemus, qui veritatem et solatium illius *μένει* extinguunt, Johanni repugnantes, quum modo antea spem suam, quae confundi non possit, pronuntiaverit: *οἴδαμεν ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστιν.* Errant sane, qui eum locum dogmaticae disciplinae postulatis accommodent et ita depravent. Simplex *καί*, quod versum adjungit, sententiam annexam magis pronuntiat quam si alia particula usus esset scriptor. Summam sine dubio vim habent verba: *καὶ οὐ δύναται ἁμαρτάνειν.* Quae si legis, memor velim sis interpretandi laborum, quibus fere in omnes, quos potuerunt invenire hominum ingenia, sensus haec vox contorta et deflexa est. Non posse autem peccare subjungit Johannes illi simplici *ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ*, quia aliis quoque locis hanc usurpare solet loquendi rationem, ut sententiam, quam urgere et evidentissime efferre vult, clarius et acutius iteret et ita cumulet. Non rem diversam aut prorsus novam ejusmodi additamentis eloqui in animo habet, sed tantum confirmare et corroborare vult quae modo dixit. Itaque non, solum *οὐ δύναται* praemittit illi *ἁμαρτάνειν*, sed etiam totam sententiam adjungit. Simile exemplum exstat in versu 11 c. 2, ubi verba eundem sensum habentia inter se connectit Apostolus, quo sententiam affirmandam ecclesiaeque mentibus commendandam melius proponat. Apertum est neque oportet demonstrari, illud *οὐ δύναται* non significare: *οὐ βούλεται* (Graeci) aut non debet (Aug. de nat. et gr. c. 15), aut non vult habituali voluntate (Oecumenius) aut non potest peccare, quatenus ex Deo est, vel qua parte renatus est, aut aegre, difficulter potest (Grotius), aut: seine ganze Geistigkeit und Angewöhnung sträubt sich dagegen (Paulus) aut: wir haben hier die ideale Anschauung des Johannes (Neander, Düsterdieck). Hanc ultimam sententiam recte impugnat Sander quum dicit: Johannes hat es hier mit realen Zuständen zu thun und will uns die Kennzeichen anführen, woran man erkennen könne, ob einer ein Kind Gottes sei oder vom Argen.

Verbis *οὐ δύναται* aliquid neque fieri neque effici posse ullo pacto significari omnibus N. T. locis probatur.*) Eodem at-

*) Matth. c. 5, v. 14. Luc. c. 20, v. 36: *οὐδὲ γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύναν-*

que in explicanda illa voce οὐ δύναται ad ἁμαρτάνειν omnes, quas antea perlustravimus, sententiae repetuntur.

Locum clarissimum dicto Johanneo prorsus congruentem idque optime illustrantem inJesu adhortationibus de falsis prophetis fugiendis apud Matth. c. 7 v. 15 ff. nobis traditis in promptu habemus. Simplicem affirmationem, qua bona arbor bonos fructus reddere dicitur, sequitur confirmatio valida: οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν. Quae quidem res propterea fieri non potest, quia malos fructus ferre a natura arboris bonae plane abhorret. Convenit autem Matthaei locum inspicere non solum propter illud οὐ δύναται, sed omnino ejus argumentum tale est, ut ad versum istum Johanneum recte intelligendum plurimum valeat. Totus fere ecclesiae christianae consensus καρπούς, qui pseudoprophetarum notae et signa sunt non incerta, doctrinam potissimum eorum falsam intelligit, ut quidam dicit: „agnoscendi sunt ex fructibus, ex manifesto aliquo impio dogmate, quod impossibile est cadere in ecclesiam.“ Quam quidem interpretationem et locus ipse, quo de doctoribus disputatur, efflagitat et loci simillimi (Matth. c. 12, v. 33—35. Luc. c. 6, v. 45 cf. 5 Mos. c. 13.) suadent cf. Tholuckii commentarium uberrimum de oratione montana conscriptum p. 459 etc.

Attamen hac interpretatione omnium saeculorum auctoritate probata facile poteris falli, si doctrinam a doctoris qui eum profert, vita moribusque separabis eaque sola prophetarum veritatem metiendam esse putabis. Concedo quidem, doctrina potissimum sua Jesum novum et aetatis suae doctoribus valde excellentem exstitisse prophetam (διδαχὴ καινὴ κατ᾽ ἐξουσίαν),*),

---

ται. Multis locis Johannis dicto simillimis occurrit illud οὐ δύναται vel ἀδύνατόν ἐστι (Joh. 10, 29. 2 Timoth. 2, 13). Saepius in evang. Joh. οὐ δύνασθαι sensu morali accipitur. Cujus magni momenti semper erat formula: „non posse“ et in statu originali describendo et in electorum salute adumbranda et in aliis dogmatices locis satis notum est.

*) Grau de Marci evangelii proprietate in Entwickelungsgesch. d. N. T. Schriften (1871) disserens vera et falsa in eo miscet, quod de doctrinae Jesu, quam Marcus tradit, penuria proponit. Etiamsi alter evangelista pauciora ipsius Christi refert verba, quam ceteri evangelistae et nos quidem cum Graunio hac in re consentimus, Marcum nobis dare „das Urevangelium“, attamen ipse Marcus verbis

quis autem negare potest, hoc ejus verbum cum sanctissima conjunctum vita ex veritate et divinitate totius Christi naturae vim et robur petivisse? Itaque recte Matthaei locum percipiunt, qui doctrinam et mores ita arte connectunt, ut exemplum illud ex arboribus earumque fructibus petitum commendat.*) Pseudoprophetae ovilla induti pelle, id est magna *χρηστολογίας* (Rom. 16, 18) specie (*ἀγαπῶ τὸν θεόν* 1. Joh. 4, 20), fucosa quadam sanctimonia sese insinuantes, lupos rapacissimos se esse mox manifestabant. *Ἄρα γε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς:* quo verbo severo et orthodoxi, qui puram doctrinam non pura adornant vita et omnes ii corriguntur, qui vitam puram agi posse somniant sine doctrina pura.

Adeo non doctrina a vita est discernenda, ut in doctrina edolanda, conformanda, praedicanda vita animi spiritualis internusque homo singulari modo cognoscitur.

Etiamsi dubium est Christi verba etiam in v. 21 usq. ad v. 23 sequentia spectentne pseudoprophetas, an generali sensu de falsis confessoribus sint intelligenda, illud constat *τοὺς ἐργαζομένους τὴν ἀνομίαν* doctrina et vita vel, quod scripturae sacrae magis consentaneum est, tota vitae suae indole legem divinam laedendo abrogasse et detraxisse. Vitam autem et doctrinam arctissime inter se cohaerere oratione montana docemur (c. 5, v. 19).

Haec igitur Christi verba si respicimus, his ita adjuvamur, ut ejus et discipuli in sinu accumbentis optimam observemus unitatem. Nam utrumque in prima Johannis epistola con-

---

Christi maximam tribuit potestatem (*ἐξουσίαν, δύναμιν*). Jesus enim cum loqueretur virtute praeditus erat divina et ita stupore homines affecerat (*ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον*). Recte igitur hunc Grauii errorem Weiss removet Ev. Marc. Einltg.: Es ist keine ganz richtige Charakterisirung der Lehrweise Jesu, wenn man sagt, dass es die Worte Jesu hinter seine Thaten zurückstelle. p. 26.

*) Grotius Matthaei locum exponens Tertullianum, Hieronymum, Chrysostomum testes affert, arborem bonam tam diu fructus bonos proferre, quamdiu arbor bona maneat, desinere autem posse esse arborem bonam. Calvinistae contra dicebant arborem bonam non posse desinere arborem bonam, quia non desinat bonos fructus proferre, praecipuum vero fructum esse fidem et ubi fides maneat, manere etiam arborem bonam.

sociatum apparet, confessionem et caritatem sive doctrinam et vitam easque ita, ut ex vera confessione vera caritas oriatur, et vera caritas veram confessionem efficiat.

Jam vero Johannes cum dicere pergit: ὅτι ἐκ θεοῦ γεγέννηται, non sententiam modo exhibitam (ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ) simpliciter iterat, sed exeunte versu ad summum perducit, cum docet, eam ob causam ex Deo natum non posse peccare, quia non ex alio nisi ex ipso Deo sit natus. Imprimis igitur verba illa praeposita ἐκ τοῦ θεοῦ urgenda sunt.

Absoluta denique hujus versus interpretatione, summam opinionis, quam de impeccantia ex Deo natorum probatam habemus, comprehendemus. Qui ex Deo natus est, ita non peccat atque ne potest quidem peccare, ut seductorum doctrinam et opera secutus, cum iisque societate conjunctus Dei filium et una cum filio patrem, ergo verum et unum Deum semel a se cognitum dilectumque abnegando rejiciat unaque cum Deo etiam eos removeat, qui ex Deo nati sunt, fratres suos christianos, quos olim caritate amplexus est. Qui cum multorum peccatorum in Deum et fratres commissorum sibi conscius sit, attamen in ipsis illis perpetrandis **non peccat**, quia ex communione Christi fratrumque non excedit, **sed peccatorum confessione remissioneque Christo propior est eique conjunctus manet.** Verbo et veritate Dei, quae una cum Spiritu sancto in eo habitant eumque dirigunt, semper id efficitur, ut in luce evangelii versetur, quae et sui ipsius cognitionem et Dei intelligentiam in eo conservat. Johannes totum renatorum vitae genus eorumque statum justum intuens, eos non posse peccare contendit, quia quamquam sint et maneant peccatores, **tamen sint et maneant in communione Dei et ecclesiae christianae.** Quam quidem sententiam certam tanta vi et auctoritate docet Johannes, quia fidelium animos vel loquendo et docendo reddere cupit firmissimos eosque imbuere conatur robore et virtute. Non fugit eum, quam infirmi in semetipsis sint etiam vere fideles, at Deum ejusque opera cum in fidelibus respicit et **consolaturus et confirmaturus veritatem suam proclamat et sanctam et veram.**

Est igitur ista loquendi forma pastorali, ut ita dicam, Johannis sapientia, qualis in epistola ubique cognosci potest, non idealistica opinione illustranda, qua veritatem non vulgaris prudentiae limitibus circumscribit, sed ad consolandam et aedificandam ecclesiam tum perturbatam et per seductores vastatam absolute atque libere profert.*)

Restat ut brevi videamus, num Calvinistae hunc locum recte explicent, quum in eo dici putent sanctos iterum labi non posse. Recentiores rem gravissimam justo levius perstringentes magis rejiciebant quam explanabant. Si enim constat, renatos non eo modo peccare, ut a Deo in Christo revelato deficiant, et si talis defectio omnino fieri posse negatur, res aperta est, sanctos eos usque ad finem vitae perseverare. Ac nos dicere oportet, doctrinam de sanctorum perseverantia dogmatice formatam saepe non ita constitui, ut fides et caritas communia esse dona eaque semper conjuncta manere satis demonstretur.**)

CAPUT V.

DE PECCATO MORTIFERO.

Nunc paulo fortiore animo accedimus ad ultimam disputationis nostrae partem, qua de peccati mortiferi, de quo agitur 1 Joh. c. 5, v. 16 usq. v. 18, natura disputandum est.

Johannes Apostolus quum epistolam ad finem perducturus sit, quoniam in versu 13 dixit, fideles vitam aeternam habere, ex hoc Dei dono gratuito concludit, fiduciam firmissimam nobis

*) De hac re copiosius disputavi in Wanderg. d. d. h. Schr. p. 211.

**) Inter dogmaticos recentiores Nitzsch (System der christl. Lehre § 150), Schenkel (Dogm. II. S. 113), Martensen (Dogm. § 235), Rothe (Theol. Ethik 3. Bd. § 790: So läugnet ja auch Johannes grade deshalb von dem Wiedergeborenen, dass er sündige und sündigen könne, weil das σπέρμα θεοῦ in ihm bleibe) sanctorum perseverantiam Scriptura doceri affirmant. Quomodo cum hac doctrina tristissima lapsus exempla, spiritus sancti opera et labor, quo fideles in Christi communione conservare diligenter ac strenue studet, multaque alia in Scriptura observata conjungenda et comparanda sint, hic disquirere non est nostrum.

in eo collocandam esse et ita omnes nostras preces confidenter ei tradi posse.

In versu 14 *καί* fidem et donum fidei respicit et hoc modo novam subjungit sententiam. Utrumque enim docet Johannes, preces nostras, qualescumque et quotcunque sint (*ἐάν τι αἰτώμεθα*) Deum benevolenter atque certissime audire (*ἀκούει ἡμῶν*) et tamen hanc precandi libertatem limitibus circumscribit, quum adjungit: *κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ*. Deinde pergit precum fiduciam augere cum dicit, scientiam nostram certissimam (*ἐὰν οἴδαμεν*), Deum nos audire quidquid petierimus, eam quoque scientiam stabilire, nos etiam singulares et praecipuas preces (*τὰ αἰτήματα*), quas ab eo petierimus, esse assecuturos, ut enim preces omnino audiuntur, ita singulares preces audiri necesse est. Ecclesiam ultimis suis verbis adhortans omnes ejus socios, qui precum vim cognoverant, ad earum usum et studium inflammare cupit, ut omnibus illis fratribus, qui seductorum veneno infecti sed nondum consumpti erant, a Deo praebeatur gratia atque sanitas. Certo melius et dignius epistolam concludere non potuit. Verba: *ἐάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα* rem, quae sine dubio fieri possit, statuunt (wenn einer sehen sollte Winer p. 260) cf. c. 3, v. 17 eandemque rem non extra ecclesiam observandam, sed media in ecclesia coram omnium oculis apparentem, licet a paucis cognitam. Frater, qui peccat, eos, qui ipsius causa peccari jubentur, dolore afficit eorumque caritatem et juvandi studium periculo suo manifesto movet. Et illud *αὐτοῦ* et *τὸν ἀδελφόν* premendum est, ut artissima fratris peccantis unio cum ceteris ecclesiae membris inita precandi sit acerrimus stimulus. Fratrem recte intelligis ecclesiae christianae adjunctum, eundemque renatum (Düsterdieck). Quam explanationem verba *τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ* efflagitant. Idcirco locum nostrum falso intelligit Calov, quum dicat, pro proximi cujusque conversione et salute orare debere ecclesiam. Si unum hunc versum audis, qui gravitatem prae se fert, jam te fugere non potest, fratrem peccantem non eo modo peccare, quo ab omnibus hominibus peccatur, sed singulari quadam ratione. Quod ille ita perpetrabat, ut seductorum doctrinae non omni vi reluctans, sed ignave eos impugnans jam communionem Christi fratrumque christianorum

relinquere inciperet. Hac segnitia frater peccans in commercio cum seductoribus habito eo poterat adduci, ut prorsus in eorum castra transiret et postremo peccatum mortiferum committeret.

Μὴ πρὸς θάνατον (postea *οὐ πρὸς θάνατον*) dicit Johannes, quia ei, qui fratri peccanti auxilium ferre debeat, judicandum est, fraterne peccans peccatum mortiferum revera non faciat (Winer p. 421). Si ejusmodi judicium nimis difficile est et omnino fieri non potest, ut nonnulli existimant, nos non videmus, cur Apostolus totam hanc sententiarum periodum scripserit. Concedimus quidem, Johannem secundum locutionem a se usurpatam — *ἐάν τις ἴδῃ* — spirituum perspiciendorum potestatem caute ei tantum attribuere, qui ceteris oculorum acie antecellat. Nam *τὶς* neque totam ecclesiam (Neander) neque sanctos (Meyer) significat, sed rem singularem singularium tantum personarum esse propriam indicat. *Δώσει* ad precantem referendum est, cujus intercessione frater lapsus vitam accipit, etiamsi connexus Deum, quippe qui preces exaudiat et in epistola ubique ut donator vitae celebretur, intelligere sinit. Quae quidem sententia et grammatices regulis et verbi precantis dignitate alibi exhibita firmatur (Act. c. 3, v. 6 *δίδωμι*. Jacob. c. 5, v. 15. 20.* 1 Timoth. c. 4, v. 16). Qua ratione vita fratri peccanti reddatur, non aperit scriptor, qui peccantis conversionem et restitutionem ut opus divinum solum precibus effici persuasum habet. Vita hoc loco secundum epistolae doctrinam ipsum Jesum Christum ejusque dona aeterna, quorum caritas fraterna maxima est, significat (c. 5, v. 12. cf. c. 3, v. 14. 15). Inde sequitur, eum, qui pro fratre peccante oraverit, id esse consecutum, ut Jesus Christus fratrumque caritas in peccatore renovetur et ita peccator in communione olim culta iterum stabiliatur. Quod additur: *τοῖς ἁμαρτάνουσι μὴ πρὸς θάνατον* illi *αὐτῷ* ita connectendum est, ut unus ille in plures, quos Apostolus scit peccare, dividatur et ita generalis quaedam norma

*) Jacobi locum etiam hac de causa notare utile est, quod ille *ἁμαρτωλός*, qui *πλανηθεὶς ἀπὸ τῆς ἀληθείας* ex certa excedit via frater christianus est, qui vitae egestate et mendicitate similibusque calamitatibus oppressus de Christi veritate dubitare et in fide vacillare jam inceperat.

proponatur. „Non pro omnibus qui peccant, inquit Apostolus, hanc precum fiduciam atque vim commendo, sed pro iis tantum, qui ex numero peccantium ad mortem segregari possunt.“ Illud *μὴ πρὸς θάνατον* hic habet sensum adverbialem et indicat ejusmodi peccatores, qui peccando non usque ad mortem deducuntur.

De qua re planius nobis disserendum est, quum jam hunc locum vexatissimum examinamus: *Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον.*

Contemplantibus nobis connexum verborum cum iis, quae modo praecedunt, mox apparebit, potestatem et quasi provinciam peccandi ad mortem gravi voce et divina et indicare et circumscribere studere Apostolum. Epistolae suae argumentum ubique augustissime tractatum jam dicto solemni: *ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον* ut propheta ad finem adducit Jesu discipulus dilectissimus et acerrimis oculis praeditus, de peccato quodam docens, quod omnem salutis spem, omnemque remissionis fidem aufert et aeterno exitio tradit hominem miserrimum.

Simplex illud *ἔστιν*, a quo sententia apostolica incipit, rem gravissimam ipsa in ecclesia inter fratres christianos revera adesse et cognosci posse apte declarat. Et primum quidem, quod ad loquendi rationem: *ἁμαρτία πρὸς θάνατον* attinet, praepositio *πρός* et viam, qua peccatum ducit, et finem, ad quem peccatum pervenit, significat. Ita est apud Johannem Ev. c. 11, v. 4 *ἀσθένεια οὐ πρὸς θάνατον*, infirmitas, quae non ad mortem adducit. Simile est illud *πρός* c. 3, v. 20. Apud Paulum saepius talis praepositionis usus occurrit: *ἔχομεν προσαγωγὴν — πρὸς τὸν πατέρα* (Eph. c. 2, v. 18), aditum, qui usque ad patrem nos fert. In ipsa hac epistola recte compares *τὴν ζωὴν — ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα*, vitam aeternam, quae usque ad patrem se extendit et ab eo segregari non potest. Nec aliter c. 2, v. 1. Congruit sane haec locutio veteris Testamenti formulae חטא למות (Num. c. 18, v. 22 cf. c. 16, v. 38), ad quam non confugiendum est, quoniam apud ipsum Johannem idonea inveniuntur, quae dicendi usum illustrant, exempla. Mors autem, ad quam peccatum ita perducit, ut nullum ex ejus potestate detur refugium, intelligenda est Jesu Christi ecclesiaeque vitae opposita regio, id est, Dei aeterni ejusque donorum aeternorum amissio, quae nullo modo

restitui potest, eademque aeterna. Quae mors jam hac in vita nos premere incipit, et in aeternitatem premere non desistit.

Sed quale ejusmodi peccatum horribile est?

Priusquam quae sententiae per saecula prolatae sint, afferamus, quid ipsis nobis videatur dicere placet. Probamus autem quod Düsterdieck his verbis optime exponit: „Die Sünde zum Tode ist aus dem Zusammenhang unsres Briefes die Leugnung, dass Jesus der Christ oder der Sohn Gottes sei. Die antichristliche Verleugnung ist das unmittelbare und unzweideutige Bekenntniss, dass der Fürst des Lebens ausdrücklich und wissentlich verworfen ist. Das Wort der Verleugnung ist die Thatsünde, welche nothwendig eine Sünde zum Tode ist.“

Idem quod peccatum in Spiritum sanctum commissum cum peccato mortifero confert, epistolam nostram testem afferre potest, quae Antichristorum doctrina et operibus Spiritus sancti testimonium in mundo manifestatum diabolicum in modum impugnare demonstrat. Sunt ergo pseudoprophetae, qui olim verum Deum in vero Christo confessi nunc eum non solum cum sua ipsorum pernicie negent, sed etiam alios in errorem et interitum secum trahere cogitent. Hi seductores vitam in Christo datam perdebant, lucem in eo splendentem exstinguebant, veritatem et verbum divinum in eo revelatum amittebant. Quam aliam igitur viam ingredi poterant nisi eam quae ad mortem deducit? Estne vero ab hac via reditus in vitam? Negat Apostolus divinus. Nam qui veritatem olim agnitam in mendacium vertit atque furore diabolico abripitur, ut ecclesiam christianam doctrina falsa destruat, is ejusmodi operibus mentis aciem praestringit ita, ut interna morte aegrotans ad veritatem agnoscendam nullo modo unquam idoneus fieri possit. Itaque quum et justo Dei judicio, quod inprimis restitutionem impedit, et sua ipsius pernicie interna a vita in Christo peracta abalienetur, morti aeternae addictus est.

Quamquam hac in re sapienter atque modeste ita disputamus, ut internae depravationis gradus esse statuamus, quorum ultimum sequitur mors aeterna. Quod discrimen Apostolus ipse primus videtur versu 17 fecisse. Sed de hoc versu postea videbimus.

Quaerentibus quales sint isti, quorum animi prorsus corrupti sint quique revera peccatum mortiferum commisisse

putentur, respondendum est, eos esse qui ecclesiae se esse velint pastores et doctores. Qui ad tantam procedunt audaciam, ut alios quoque omni opera depravare studeant, hi sunt spiritus falsi, de quibus prorsus desperandum est. Disputationis nostrae fines nimis transgrederemur, si de peccato in Spiritum sanctum commisso, hic agere vellemus. Peccatum mortiferum idem esse atque peccatum in Spiritum sanctum commissum jam diximus, qua in sententia optimorum interpretum ut Calvini, Lutheri, Bullingeri, Calovii, Düsterdieckii consensu et auctoritate confirmamur. Nova cujusdam vox audita est, qui quaestionem de peccato in Spiritum sanctum commisso praesenti aetate solvere non licere pronuntiat eique ultimo demum tempore lucem afferri posse. „Es ist bei der chrislichen Kirche bis daher eine umfassende und durchgreifende Erfahrung dieser Sünde noch nicht gemacht worden; es bleibt deshalb die Vermuthung gerechtfertigt, dass dieselbe, wie sie in der ersten Zukunft Christi auftrat, wohl auch nur in den Zeiten der zweiten Zukunft des Herrn erkennbar auftreten wird und zu den Werken des Menschen der Sünde, des Antichrist gehören werde“ (Vilmar Theol. Moral. S. 348.). Sed hanc explicandi fugam probare non possumus, quia illud Johannis: *ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον* ad omnia tempora spectat. Simili modo ut Jesu dicta de peccato in Spiritum sanctum commisso*), clarissima illa verba ex epistola ad Hebraeos deprompta: *ἀδύνατον γάρ* etc. c. 6, v. 4—8 ad locum istum illustrandum pertinent, de quibus accuratius hic agere

*) Christi verba de peccato in Spiritum sanctum commisso alias spectant et res et personas atque quales Johanni et ei qui ad Hebraeos scripsit, qui christianos fidem olim amplexos ad mortem peccantes describunt, obversantur (sunt enim adversus Pharisaeos dicta, qui fidem nondum susceperant et cordis pertinacia peccatum in Sp. s. committere periclitabantur). Peccatum quod in Sp. S. committitur, ampliores amplectitur fines, quod et per infideles pertinaces, qui omnem fidem respuunt, et per fidei desertores, qui ad tempus crediderant, committi potest. Extra ecclesiam et intra ecclesiam peccatum in Sp. S. invenitur, ubique vero contra veritatis testimonium bene cognitum et quodammodo approbatum. Regenitos peccato in Sp. S. se obstringere posse negat Johannes, quia in mortem peccantes non in ecclesia vera sint, etiamsi ex externa ecclesiae societate prodierint.

non possumus. Necessarium autem nobis esse videtur, Pauli verba de homine haeretico tradita in memoriam revocare. *Αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν νουθεσίαν καὶ δευτέραν παραιτοῦ, εἰδὼς, ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος.* Tit. c. 3, v. 10 et 11. Irreparabilem quandam conversionem in malum atque necessitatem peccandi nusquam tollendam, quae ipsius haeretici judicio damnatur, aperte hoc dicto proclamat gentium doctor. Quocum omnes illi loci camparandi sunt, qui in ceteris epistolis pastoralibus omnem spem redeundi ad vitam auferunt seductoribus (1 Tim. c. 6, v. 5. 2 Tim. c. 3, v. 8. 13: *προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον,* Tit. c. 1, v. 16: *πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι.**) Quoniam quid ipsis nobis placeat diximus, restat ut diversas aliorum interpretationes cognoscamus.

Grotius veterum patrum de hoc loco sententias perlustrans, eos peccatum mortiferum ita intellexisse contendit, ut putarent, esse peccatum ejus qui baptizatus sit, non tamen omne, quod cum aliqua deliberatione vel spatio ad deliberandum dato fiat, sed aliquod ex illis gravissimis vitiis, puta idololatriam, homicidium, adulterium. Tum de veterum moribus et consuetudine, in iis usitata, quos post lapsum receperint in communionem, disserit vir doctus, testes advocans Tertullianum, qui explicat de moechia post baptismum commissa (licet non solum de hoc peccato), Pastorem Hermam, qui peccantes ad mortem virgas putridas vocat, et Nicaenam Synodum, quae *ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον* interpretatur: *ἀδιόρθωτον μένειν.* Hanc sententiam denuo defenderunt Ambrosius et Erasmus, quorum ille dicit: majora crimina majoribus abluuntur fletibus. Sed Grotius ipse et quasi thesaurus ille expositionis catholicae Cornelius a Lapide calculum subducunt, quod S. Johannes vetet pro peccante ad mortem orari oratione aut communi aut privata. Quare nullum adhuc esse ecclesiae negotium et commercium cum ejusmodi peccantibus. Quam quidem Cornelius et Grotius afferunt interpretationem, eam non meliorem putamus.

*) Utilissimum esset explorare, qualem in epistolis pastoralibus statuere deberemus intra conscientiae depravationem et amissionem fidei cohaerentiam.

Hic intelligit de iis qui cum peccaverint, moniti peccare pergunt; ille de peccato quovis gravissimo, quod quasi immedicabile ipsum peccantem paene certo et infallibiliter deducet ad mortem, nisi insignis aliquis sanctus et quasi novus Moses ei extraordinariam gratiam et veniam a Deo impetret. Uterque bene a Calovio refutatur, qui enumerat tres notas hujusce peccati, quod absolutum peccatum sit ad mortem, quod ab omnibus aliis peccatis distinguatur et pro quo simpliciter non sit orandum.

Hieronymus, Bernhardus, Bonaventura, Thomas Suarez et fere tota ecclesia romana peccàtum mortiferum peccatum gravius putant, sed adjungunt, quod vix remittitur, aut quod Deus punire decrevit, hominibus nescientibus, aut quod solum inter moriendum cognosci potest. Erant nonnulli, qui ipsum purgatorium ex hoc loco demonstrare audebant, verba ad arbitrium interpretantes. Quam miseriam ecclesiae christianae illa ex loco isto hausta distinctio inter peccata mortalia et venialia immiserit, ex Calvini verbis elucet: „nullum fere Sorbonici mortale peccatum agnoscunt, nisi quibus tam crassa exstat turpitudo, ut paene manibus teneri queat. Omnes peccati originalis fructus modo ne erumpant in externum actum, levi aspersione atque benedictione elui putant." Augustinus, quum varia de peccato mortifero statuat, hanc tamen explicationem retinere solet: „eum peccare ad mortem, qui in scelerata mentis perversitate finiverit hanc vitam." Quum vero ultima vitae hora hominum oculos fugere possit, saepissime de peccato mortifero judicari non potest. Ceterum verbum quoddam Augustineum traditum est, quod aliquid veri continet: peccatum ad mortem esse illud, quo post agnitionem Dei, quae per gratiam cuipiam data sit, fraternitatem nos impugnemus et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus sit Deus, invidentiae facibus agitemur (de serm. Dom. in monte c. 22). Reformationis evangelicae auctores Lutherus et Calvinus in hac re, de qua agitur, explicanda consentiunt. „Man kann nicht, inquit ille, sich höher und schwerer versündigen, denn so man abfällt vom Glauben und dazu nicht will wiederkehren. Das ist die Sünde zum Tode, der nicht zu helfen ist" (Ausleg. v. Joh. XV. Erlangiae edit. l. 49. p. 310). „Todsünde heisst die

Sünde in den heiligen Geist — ich soll wider solche Sünde bitten" (l. 41, p. 346. Ausleg. d. Proph. Jonas). Item Calvinus apostasiam et peccatum in Sp. s. connectit his verbis: „Quum peccatum aut blasphemia in Sp. s. ejusmodi defectionem perpetuo secum trahat, non dubium est, quin hic etiam notetur." Idem fere sentiunt ex Lutheranis Flacius, Lucas Osiander, Gerhard, Meissner et plerique alii, ex Reformatis Bullingerus, Gomarus et alii.

Omnium horum virorum consensum laudans id tamen apud nonnullos non satis clare atque distincte expressum existimo, quinam fuerint illi, qui in ecclesia apostolica peccatum mortiferum commiserint, ita ut ista verba ecclesiae quae tum erat statu conditioneque explicentur. Si enim falsos prophetas intelliges peccatores, loco depellere poteris multas tenebras et media in ecclesia, cui scripsit Johannes, contemplanda versaberis. Hanc interpretationis normam veteres saepius neglexerunt, verborum expositionem ecclesiae conditioni esse accommodandam.

Ex recentioribus interpretibus De Wette et Lücke apostasiam intelligunt, Sander peccatum in Spiritum sanctum commissum.

Evangelicae igitur ecclesiae interpretum plerique jure suo in eo consentiunt, apostasiam et, quod cum ea arcte cohaereat, peccatum in Spiritum sanctum commissum peccatum esse mortiferum. Ultimus interpres Haupt eandem defendit causam, quum dicit: „Die Todsünde kann nur darin bestehen, dass Gemeindeglieder das letzte Band mit Christo durchschnitten haben. Die Sünde zum Tode ist die vollendete Feindschaft gegen Christum, ist ein Sündigen ביד רמה."

Postquam ita quae difficillima erant ad dijudicandum exploravimus, ea quae supersunt inspiciamus.

Apostolus quum peccatum mortiferum quid sit, docuerit, precationem pro ejusmodi peccato fieri „morata et attica" ratione vetat. Etiamsi verum est, quod a nonnullis (Socin, Grotius, Neander, Lücke, Huther) premitur, apertam vetandi formulam non in usu fuisse Johanni, attamen ipsa loquendi ratio cauta providaque rem istam fieri non posse magis significat, quam si aperte esset vetita. Ab logices vero artis praeceptis abhorrere videntur, qui ita hunc locum interpretantur, ut non

prorsus precationes prohiberi dicant. Nam si ullam precationibus hac in re adhibendis vim tribuisset Apostolus, non addidisset: *ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον*. Quare interpretes, qui hoc dictum quam grave sit non vident, etiam de quadam precum libertate magis somniant quam explicant. Johannes pro verbo *αἰτεῖν*, quod supra posuit, hic *ἐρωτᾶν* usus est, quia pro peccante ad mortem ne valida quidem fiduciaeque plena precatione ulla sperari possit exauditio. Illud toti sententiae praemissum *οὐ* in acuta loquendi ratione significat indolem omnino negativam inesse. Quis enim pro peccante ad mortem confidenter audet implorare Deum, apud quem gratiam impetrare non potest homo ab eo prorsus abalienatus?

Recte ad locum nostrum Tertullianus: Ubi est postulationis vis, illic etiam remissionis, ubi nec postulationis, ibi aeque nec remissionis (de pudicit c. 10). Distinctione facta inter peccatum non ad mortem et peccatum ad mortem, ne quis abutatur, Johannes pergit dicere: *πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστίν*. *Ἀδικία* est illa agendi ratio perversa, qua Dei justitiam in evangelio mihi promissam oblatamque non ita mihi applicare studeo, ut toto animo in ea haeream eamque docendo et agendo amem, tuear, defendam. *Ἄδικος* adversatur Deo justo, qui justitiae suae perfectionem in filio misso revelaverat, et una cum Deo fratres christianos Dei justitiam amplectentes impugnat. Apostolo notum erat, praeter seductores, qui peccatum admittebant, multos in ecclesia in periculo versari peccandi falsisque prophetis aurem praebendi quos in societatem reciperent. Omnem ergo in Deum justum et in fratres justos commissam iniquitatem vocat peccatum, ne quis ea re falso se excuset et soletur, quod non simili pseudoprophetis modo peccaverit. Immo vero unusquisque, qui Christum ecclesiamque caritate sincerissima, pietate sanctissima non amplectitur, *ἀδικίαν* committit et ita *ἁμαρτίαν*, quae contra legem divinam est (c. 3. 4). Eorum interpretationes, qui hic iterum generali modo de peccato disserentes ita discrimen inter *ἀδικίαν* et *ἀδικίαν* interesse dicunt, probare omnino non possum, quia totius epistolae sententiarum ordinem non recte respiciunt. Etenim ex v. 17 praeter alia id quoque elucet, pseudoprophetas ad summam iniquitatis pervenisse, et ita peccatum ad mortem

commisisse. Quae vero sequuntur: *καὶ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον* eo consilio praecedentibus subjungit Apostolus, ut et precum fiduciam firmet et lapsis januam ad Christum redeundi aperiat. Etiamsi quaevis injustitia peccatum est, tamen non omne peccatum ad mortem deducit.

Totam quae deinde sequitur sententiarum periodum, a versu 18 usque ad epistolae finem, eo consilio Apostolus addit, ut omnem peccandi libidinem atque vim in ecclesia dissolvat, quod ille qui ex Deo natus sit, non peccet, immo vero se ipsum in verbo et unitate ecclesiae conservet et ita diabolum malignum, qui seducturus et perditurus ipsum appropinquet, a se removeat, ne se attingat et arripiat. Quam scientiam et veram et rectam sine ulla circumscriptione proponit Apostolus, ut fidelium animos firmet et stabiliat.

Postremo ad disputationem nostram epistolae finem inprimis pertinere puto, quippe in quo de Christo cognoscendo in eoque manendo, vero Dei filio, veroque Deo ipso magna vi et majestate dicatur, et hoc modo valedicturus scriptor eam peccati notionem sui propriam in epistola esse declarat, qua peccatum transgressio ex cognitione et fide Christi caritateque fraterna in infidelitatem et odium intelligatur et Dei veri ecclesiaeque christianae definiatur amissio.

Corrigenda.

Legendum est p. 2 l. 37: Lutterbeck; p. 18 l. 23: intellexerit; p. 38 l. 3: aquam.

Halis, Formis Karrasianis.

Theses.

1.

In prima Johannis epistola *κόσμος* maxime mundum in media ecclesia versantem significat.

2.

Etiam Vetus Testamentum indicat homines vere fideles plenos esse fiduciae peccatorum remissionis.

3.

Christus omnem animi confirmationem et consolationem ex libris Veteris Testamenti haurire consuevit.

4.

Christi resurrectio nulla re firmius et certius probatur, quam ipsa discipulorum incredulitate et dubitatione.

5.

Altero Pauli ad Ephesios epistolae capite liberrima Dei gratia, apertissime docetur qua solum eos, qui *πρὸ καταβολῆς κόσμου* electi et *ὡς οἱ λοιποὶ τέκνα φύσει ὀργῆς* sunt, vivificat.

6.

Interpretatio, qua hodie c. 7 epistolae ad Romanos scriptae de usu vitae non renatorum explicatur, toti Paulinae psychologiae adversatur.

7.

Cum totus ille locus difficillimus in Petri epistola (c. 3, v. 19 et 20), tum verba: *ἐν φυλακῇ* ex locis Petri I. c. 1, v. 5; II. c. 2, v. 4, 9; c. 3, v. 7 et ex loco Geneseos c. 6, v. 3 explicanda sunt.

8.

Vere christiani hominis vis ac virtus in eo constat, quod conscientiam contra conscientiam sedare potest.

9.

Symbolum apostolicum non nisi interpretatione, quae cum evangelio congruit, illustratum dignitatem suam habet.